Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Praeloquium

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Tomi Primi

Theologiæ Universalis i
~~Ettonianæ~~
~~Tomi Primi, de locis~~
~~Theologicis~~
Tractatus Quartus.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus;
Historiæ Ecclesiasticæ et Profanæ Scriptoribus;
Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii peritis;
Ratione naturali, Philosophis, et Juris Cæsarei Consultis
~~Eorumdemque omnium auctoritate.~~

mit Cicero antiq. gestalt

Præloquium. i.

Postquam de S. Scripturâ, Traditione Sacrâ, Ecclesiâ, Conciliis, et Romano Pontifice eorumque auctoritate satis, quantùm, ut arbitramur, oportet, præcedentibus tribus Tractatibus disseruimus, superesse videtur, ut modò, priusquam Theologiæ nostræ Tomum primum finiamus, reliquos Theologicos locos, eorundemque in rebus Ecclesiæ auctoritatem expendamus, et definiamus; quod quatuor Capitibus præstare animus est; in quorum primô de Sanctis Ecclesiæ Patribus; in 2dô de Historiæ tum Ecclesiasticæ, tum profanæ Scriptoribus; in 3tiô de Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii Peritis; in quartô denique, de ratione naturali Philosophis, et Juris Cæsarei Consultis, eorumque omnium auctoritate agemus. Sit ergo.

2.

Caput Primum.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus eorumque in rebus Ecclesiæ auctoritate.

Ad Sanctos Ecclesiæ Patres, fideles et incorruptos S. Scripturæ custodes et Traditionis Sacræ testes progredimur; sunt enim venerandi post Prophetas et Apostolos Magistri, de quibus, maximè ubi de S. Scripturæ Sensu et Sacrâ Traditione nobis sermo est, dicere cum S. Augustino* debemus: Quod tenent tenemus, quod docent docemus, quod prædicant, prædicamus. Nihilque ut monet Victor Carthaginensis, noviter dicamus, nihil, quod non à SS. Patribus fuerit expressè traditum, vel indicatum.

* lib. 1. cont. Julian. c. 8.

~~2~~ 8
4

Sanctorum autem Ecclesiæ Patrum nomine hic intelligimus, antiquos illos ac Sanctos primorum et antiquiorum Sæculorum Doctores, quorum in Ecclesiâ laudantur Scriptiones, et benedicitur memoria ob eminentem doctrinam et insignem vitæ Sanctitatem, perpetuamque ad mortem usque cum Romanâ Ecclesiâ seu Romanô Pontifice communionem; seu antiquos illos fideles, qui primis post Apostolos, et antiquioribus Ecclesiæ Sæculis doctrinâ et vitæ Sanctitate claruêre, et ad Ecclesiam perficiendam, hoc est, doctrinâ, virtutibusque formandam elaborarûnt, eamque ita suis doctrinæ radiis, et morum exemplô quodammodò genuerunt: undè per methaphoram, translatô Patris nomi-

ne ad generationem Spiritualem, Ecclesiæ Pa- 3
tres vulgò et jure nuncupantur. Ergò
illi Ecclesiæ Patres dicuntur, quos ob emi-
nentem doctrinam, insignem vitæ Sancti-
tatem, et competentem antiquitatem, ut
tales agnovit, sive tacitè vel expressè
declaravit Ecclesia.

Quæ porro eorum spectant auctorita-
tem duobus ~~capitibus~~ Paragraphis exhibebi-
mus in quorum primò, quantùm ipsa
~~valeant~~ valeat in discernendâ fidei ma-
teriâ, expendemus. In secundo autem non-
nullas assignabimus regulas in legendis San-
ctis Ecclesiæ Patribus servandas ꝑꝑꝑ.

§. Primus.

Quanta sit SS. Ecclesiæ Patrum 2.
in discernendâ fidei materiâ auctoritas.

Sciendum hic ~~in~~ Sanctos Ecclesiæ Patres
et Doctores spectari posse 1º vel ut sunt ho-
mines præcisè, vel ut sunt Ecclesiæ Patres,
et Doctores à Deô Ecclesiæ dati, quales in-
telligit Paulus 1. ad Cor. c. 12. v. 28. dicens: Quos-
dam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm
Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Docto-
res.

2º. Eosdem, sive ut privatos homines, 3.
sive ut Patres et Doctores Ecclesiæ, posse
iterum considerari, dum loquuntur, vel
prout loquuntur singulatim, hoc est, qui-
libet seorsim; vel conjunctim, hoc est si-
mul omnes; vel non singulatim, nec
conjunctim, seu simul omnes, sed pauci
tantùm, aliis reclamantibus, vel silenti-
bus. 3tiò denique, dum loquuntur in
materiâ fidei, et solô supernaturali lu-

4. mine cognoscibili; vel in merè naturali et ad fidem non spectante, solisque naturæ viribus cognoscibili doctrinâ. His positis sit

Conclusio.

4. Nullus seorsim Sancti Ecclesiæ Patris, imò nec plurium aliquorum idem sentientium contradicentibus, vel tacentibus cæteris; benè autem omnium simul sumptorum, et unanimiter idem asserentium sententia est infallibilis in fidei materiâ discernendâ.

Tres sunt hujus Conclusionis partes, quarum 1.a

Prob. 1.o Quia nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus, sive consideretur ut homo privatus et simpliciter, sive ut Ecclesiæ Pater et Doctor, habet donum infallibilitatis; nam si illud haberet, vel haberet ex se, vel ex Christi promissione; non habet ex se, quia ex se est homo fallibilis et mendax; non etiam ex Christi promissione, cùm Christus nulli privato homini, nullique Ecclesiæ Patri vel Doctori privato, sed soli Ecclesiæ tale donum promiserit. Ergò nullius privati seorsim loquentis Ecclesiæ Patris, quocunque modò, et quacunque in materiâ considerati sententia, sive auctoritas est infallibilis.

5. Pb. 2.o Quia id fatentur et ipsi Sancti Ecclesiæ Patres; Aliter habendi sunt Apostoli, inquit S. Hieronymus,* aliter reliqui tractatores; illos semper verum dicere, istos in quibusdam, ut homi-

* Epist. ad Cteriphont.

nes errare contingit. Et S. Augustinus, Alios, 5
inquit*, ita lego, ut quantalibet Sanctitate, * Ep. ad Hieron. 19.
Doctrinâque præpolleant, non ideò verum
putem, quia ita senserunt ipsi, sed quia
mihi, vel per auctores Canonicos, vel pro-
babili ratione, quòd à verò non aberrant,
persuadere potuerant. Item, Nemi-
nem velim, ait, sic amplecti omnia mea,
ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me
non errare perspexerit; nam propterea
nunc facio libros, in quibus opuscula mea
retractanda suscepi.

Pb. 3tio Quia variis exemplis eos 6.
sæpè errasse constat: nam erravit ille quan-
tumvis doctus et Sanctus, qui baptizatos
ab hæreticis rebaptizandos esse credidit;
erravit ille, qui in Christi corpore pœnas
doloresque fuisse negavit; erravit ille
qui in millenariorum dogma descendit;
erravit ille, qui justis morte raptis, us-
que ad extremi Judicii diem, veram feli-
citatem ademit; erravit ille, qui ani-
mam hominis ex traduce fieri putavit;
erravêre denique illi omnes, qui Angelos
multis ante mundum corporeum ~~æternis~~
ætatibus creatos fuisse putarûnt. Ergò
eos omnes singulatim sumptos fallibi-
les esse constat; ac proinde nullius cujus-
libet privati infallibilis esse potest aucto-
ritas; imò nec plurium aliquorum
contradicentibus, vel saltem tacentibus
cæteris, quod est 2da pars Conclusionis
quæ Prob. Quia multi sæpè de aliquo 7.
dogmate convenerunt SS. Patres aliqui; imò
et major illorum pars, quod tamen non

6 est de fide, quia refragantur ceteri. Ergo infallibilis non est illorum auctoritas in discernendâ fidei materiâ sive doctrinâ.

Ob. ant. Multi SS. Patres, ut Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Damascenus, et alii docent, istius mundi creaturarum universitatem non simul, hoc est, non in instanti, sed sex dierum spatiô fuisse productam; et tamen hoc non est fidei dogma, quia oppositum tenet S. Augustinus. Multâ etiam SS. Patres Moysen in hac vitâ existentem Dei essentiam non vidisse tenent, ut Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Magnus, Chrysostomus, Cyrillus, Leo, ~~Dyon~~ Dionysius et alii; nec tamen hoc illorum sententia fidei dogma est, quia contradicit S. Augustinus cum pauis aliis. Ergo etiam plurium SS. Patrum auctoritas, contradicentibus, vel tacentibus aliis, infallibilis non est in discernendâ fidei materiâ; benè autem auctoritas omnium idem unanimiter asserentium, unde

8. Prob. 3tia pars conclusionis 1°. Quia non est possibile illos omnes simul sumptos errare, qui sunt à Deo Ecclesiæ dati, ut Ecclesiam ab errore præservent; aliàs illis errantibus errabit Ecclesia, quod est contrà promissionem Christi de Ecclesiâ dicentis Matth. 16. v. 18. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Atqui Sancti Ecclesiæ Patres et Doctores sunt ex iis, qui sunt à Deô Ecclesiæ dati, ut illam ab omni errore præservent, juxta illud Sancti ad Ephes. c. 4. v. 11. dicentis: Et ipse dedit

quosdam quidem Apostolos, quosdam autem 7
Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem
Pastores et Doctores, ad consummationem
Sanctorum in opus ministerii, in aedifi-
cationem corporis Christi: donec occurra-
mus omnes in unitatem fidei, et agni-
tionis filii Dei &c. Ergò impossibile est
Sanctos Ecclesiae Patres et Doctores omnes
simul sumptos, de aliquo, tanquam de fidei
dogmate, unanimiter sentientes errare,
et falli. Ergo illorum omnium simul
sumptorum infallibilis est auctoritas
in discernenda fidei doctrinâ.

Pb. 2.do Quia ex Ecclesiae mente id 9.
manifestè confirmatur: profitetur enim
Ecclesia in Concilijs congregata, dum quid
de fide credendum proponit ac definit,
se Sanctorum Patrum sequi fidem et men-
tem: unde in Chalcedonensi Concilio con-
clamatum olim, Haec est fides Patrum;
unde in Concilio Viennensi dictum à
Clemente V. Nos ad Sanctorum Patrum
et Doctorum communem sententiam
Apostolica considerationis aciem conver-
tentes, sacro approbante Concilio declara-
mus. Undè et in Tridentino Concilio
Sess. 4. in decreto de editione et Sacrorum
Librorum usu specialiter sub poena ana-
thematis prohibetur, ne quis Scripturam
Sacram contra unanimem Sanctorum Pa-
trum sensum interpretari audeat. Sup-
ponit ergo Ecclesia, infallibilem esse una-
nimem Sanctorum Patrum consensum
in explicandâ Scripturâ, ac proinde in dis-
cernendâ fidei materiâ seu dogmate et
doctrinâ in Scripturâ vel Traditione con-

8. tentâ. Ergo p. Dixi in materiâ fidei; nam in alia quacunque naturali et lumine naturali cognoscibili materiâ, non est mirum, si fallibilis sit unaminis etiam eorum sententia, nec majorem certitudinem habeat, quàm ratio, qua nituntur, siquidem SS: Patres ut plurimùm neglexêre Philosophiæ, aliarúmque scientiarum naturalium studium, ut totos se Divinæ Sapientiæ traderent, prout de SS: Gregoriô Nazianzenô et Basiliô testatur Rufinus*; necnon de se ipso scribit S. Hieronymus*.

* Hist. lib. 2. c. 9.
* in proœmio in Epist. ad Galat.

Solvuntur Objectiones.

10. Ob. 1.º contra primam partem Conclusionis. Singuli Ecclesiæ Patres et Doctores eorumque Scripta approbantur ab Ecclesiâ; Ergo supponit Ecclesia, nullum ex his erraße, Singulosque ut infallibiles proponit audiendos.

Resp. com. ant. neg. cons. quia approbatio hæc Ecclesiæ non est Definitio, sed permissio duntaxat, qua recipiuntur ut utilia, vera, catholica, vel probabilia. Nam illa singulorum Patrum Scripta, vel continent fidei dogma, vel sunt de rebus ad fidem non spectantibus, vel errores aliquos continent contra fidem; si primum Ecclesia ea approbat ut vera et Catholica; si secundum, ea solùm recipit et permittit ut probabilia; si tertium, ea non approbat, nec recipit, sed exuit, ut constat de multis à Gelasio Papa exuptis in Concilio Romanô

Septuaginta Episcoporum cap. Sancta 9
Romana Ecclesia dist. 15. aut si non ex-
cipit, ideò non excipit, quia nondum
satis constat, id quod continent, contra
fidem esse, et aliunde quidpiam probabi-
litatis habet; unde est, quòd licet pugnan-
tia loquantur interdum SS. Patres, et ne-
get unus, quod alter affirmat, et utrius-
que Scripta approbet Ecclesia, non sequi-
tur, quòd pugnantia et contradictoria
approbet Ecclesia, quia utrinsque Scripta
approbat ut solùm probabilia; duo autem
probabilia ut probabilia, nec contradicto-
ria sunt, nec opposita moraliter.

Ob. 2.do Si singuli Patres sunt falli- 11.
biles, tunc frustra illorum auctoritate
utitur Theologia. Atqui p. Ergo p.

Resp. neg. sequel. Maj. Quia licèt
fallibiles sint Patres, nec infallibilis eorum
auctoritas, est tamen talis ac tanta, ut
sententiam faciat probabilem: Utitur,
inquit S. Thomas*, Theologia auctorita-
tibus aliorum Ecclesiæ Doctorum, quasi
argumentando ex propriis, sed probabiliter.
Quod intelligendum est de auctoritate
singulorum seorsim sumptorum; nam
ex auctoritate omnium simul sumpto-
rum, et idem asserentium argumentatur
plusquam probabiliter, cùm unanimis
SS. Patrum consensus sit infallibilis, et
fundet Ecclesiæ definitionem in rebus fi-
dei et morum.

Ob. 3.tio contra 3.tiam Conclusio-
nis partem. Singuli Patres sunt fallibi-

* 1. p. q. 1. art. 8. ad 2.

10. les. Ergo et omnes simul sumpti; non enim videtur esse major ratio simul, quàm seorsim sumptorum.

Resp. neg. cons. 1°. quia moraliter est impossibile, omnes simul sumptos fallì, benè autem singulos seorsim spectatos. 2°. Quia singulis non est infallibilitas à Christo promissa; benè autem omnibus simul sumptis, cùm sit Ecclesiæ promissa, nec infallibilitas Ecclesiæ stare possit, nisi infallibilis sit unanimis Sanctorum Patrum consensus, qui fundat Ecclesiæ definitionem, seu quem sequitur, et sequi tenetur in suis definitionibus Ecclesia; vel si infallibilitatem non habeant ex Christi promissione SS. Patres omnes simul sumpti idem affirmantes, idam saltem eos habere constat ex Ecclesiæ approbatione et usu, quæ unanimem SS. Patrum ut pote fidelium et incorruptorum S. Scripturæ sensus et Traditionis sacræ testium, consensum semper sequitur, et sequendum præcipit.

12. Ob. 4.to Difficile est, ac ferè impossibile, explorare, et invenire omnium Sanctorum Patrum consensum, cùm multorum opera nos lateant, et plurium scripta perierint. Ergo unanimis omnium consensus frustrà proponitur ut infallibilis, et sequendus.

Resp. neg. ant. 1°. Quia ille unanimis SS. Patrum consensus non est mathematicè sumendus, ita ut ne quidem unus ex omnibus omnium temporum Patribus desit; sed moraliter, ita ut sit con-

sensus omnium circiter, vel ferè omnium, 11
eo modo, quo res morales sumi debent: moralia autem moraliter sunt intelligenda. 2°. Quia tunc unanimis Patrum consensus cumulatè probatus æstimari debet, cùm singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper Orthodoxus semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.

Ob. 5.to Hæreticus non esset, qui negaret doctrinam aliquam nondum ab Ecclesiâ definitam, et propositam, quam tamen de fide teneret unanimis SS: Patrum consensus. Ergò unanimis SS: Patrum consensus non reputatur infallibilis in discernendâ fidei materiâ. 13.

Resp. dist. ant. Non esset hæreticus formaliter et præcisè, quatenus illam negaret contrà unanimem SS: Patrum consensum; conc. Non esset hæreticus consequenter et illativè, seu præsumptivè; neg. ant. Ratio est, quia præsumeretur negare infallibilitatem Ecclesiæ, quæ est de fide; præsumeretur autem negare infallibilitatem Ecclesiæ, si negaret doctrinam aliquam contra unanimem SS: Patrum consensum, quem sequitur, et sequendum proponit Ecclesia. Undè licèt Doctrina illa, quam unanimis SS: Patrum consensus tenet esse de fide, sit de fide; non est tamen de fide Catholica, et sub poenâ hæresis credenda, donec fuerit supremô Ecclesiæ judiciô definita, et omnibus ad credendum proposita.

12.
~~13.~~
14

Ob. 6.to Inter Scripta sub nomine SS: Patrum edita, multa sunt supposita, nec saepiùs constat, quonam germana sint, quonam verò supposita; neque etiam germanus eorum sensus nobis certò innotescere potest; tum quia multis in locis interpolata, atque adulterata sunt, sive de industriâ, et malitiâ, sive librariorum inuriâ; tum quia saepiùs tam ambigua sunt verba, quibus sententiam suam expresserunt, ut à singulis in suas partes trahantur. Ergo ab auctoritate SS: Patrum etiam simul sumptorum atque unanimi consensu in eandem doctrinam ~~cons~~ convenientium non satis solidum argumentum pro fidei materiâ discernendâ peti potest.

Resp. neg. ant. Haec objectio non magis pugnat contrâ Scriptorum sub nomine SS: Patrum editorum auctoritatem ~~profectò~~ quàm contrâ librorum Scripturae Sacrae, et librorum etiam à prophanis Auctoribus editorum auctoritatem; proinde nimium probat, adeoque nihil. Nam quemadmodum ex pluribus Veterum testimoniis, et ex antiquissimorum Mss. consensione certi sumus Iliadem Homeri, Aeneidem Virgilii, Ciceronis Orationes, &c. non esse supposita opera, nec fuisse adulterata; ita nobis constat de maximâ parte Scriptorum, quae SS: Patribus tribuuntur; et quae proinde sola ad eliciendum unanimem in quaestionibus fidei et morum idorum consensum proferri à nostris solent.

§ Secundus. 13.
15.

Assignantur nonnulla Regulæ in legendis SS: Patribus servanda
Nec non eorundem Catalogus texitur.

Ut sine abusu, sed magnô cum fructu, debitâque cum observantiâ legere et laudare pro fide SS: Patres valeamus sequentes inter alias servare nos oportet regulas et cautiones.

1.º Diligenter attendendum est, quando, hoc est, quo sæculô, quo annô, quo imperante seu sedente Romanô Pontifice ille S. Pater, cujus Scripta legimus, scripserit; id enim, si diligenter à nobis fuerit observatum, deprehendemus sæpè, non in hæresim lapsum fuisse, quem interdum lapsum fabulantur, vel calumniantur ~~nostri~~ Heterodoxi. Sic v.g. Papiam, Justinum, et Irenæum, quantumvis fabulosam, et hæreticam hodie de millenariô Christi in terris regnô sententiam secutos, minimè tamen in hæresim lapsos esse comperiet quivis, si advertat, sententiam idam eô tempore, quô illi SS: Patres vixêre, nondum ut hæreticam fuisse damnatam. Sic S. Cyprianum quantumvis varia pro rebaptizandis hæreticis certamina passum, à omni hæresis labe immunem deprehendemus, si consideremus, dogma de non rebaptizandis hæreticis, tempore S. Cypriani, tanquam de fide nondum definitum fuisse, sed inter adiaphora et solam disciplinam spec-

14 tans habitum fuisse. Sic et S. Augustinum, quantumvis animam ex tradue fieri saltem probabiliter censuerit, nullatenus erravisse noscemus; si tempore, quo ita censuit, hac de re nondum ultimo Ecclesiæ judicio decisa, varias fuisse Catholicorum sententias, et unicuique in suo sensu abundare licitum observemus, p.

16 2.do Observanda Scribentis ætas, an videlicet juvenis esset, cum scriberet, an in virili, vel senili ætate; enimvero docet experientia, nos etiam plura sentire et probare juvenes, quæ grandiores facti, et maturiorem assecuti ætatem revocamus, et improbamus. Testes hujus sunt omni exceptione majores duo S. Augustini Retractationum libri, in quibus jam Senex multa retractat, quæ junior incautè protulerat.

17. 3.tio Ad Scribendi causam et occasionem attendendum, hoc est, advertendum, contra quos, et qua occasione scripserint interdum Patres, ut genuinus illorum attingatur sensus; sic v.g. ut S. Hilarius Pictaviensis Episcopus non erasse videatur, dum lib. 10. de Trinitate, Christum Dominum omnis doloris sensûs expertem fuisse, ac proinde nullum sensisse dolorem asserit, advertendum, S. Hilarium scribere contra Arianos Christum Dominum esse Deum negantes, ut pote ~~quæ~~ multis doloribus et passionibus obnoxium, atque intelligemus, Hilarium loqui de Christo Domino, non ratione humanitatis passibilis, et mortalis, sed ratione Divinitatis impassibilis, et immortalis considerato.

4.to Advertendum, quomodò S. Pa- 15.
ter aliquis loquatur, an per modum concio- 18.
nantis, vel per modum viri simpliciter lo-
quentis, quia, ut observat Vincentius Liri-
nensis, verba à SS. Patribus concionando
prolata, non sunt semper in rigore intel-
ligenda; sed interdum tanquam ex Zelo
quodam, et hyperbolicè dicta. Sic v.g. dum
S. Chrysostomus concionando suum populum
hortatur ad assiduam Sacræ Scripturæ lectio-
nem, non est censendus voluisse, ut omnes
indiscriminatim etiam indocti, et instabi-
les, etiam rudes, et ignaræ mulierculæ Divi-
næ Scripturæ vacarent, sub pœna salutis,
prout eum voluisse perperam et ineptè cen-
sent nostri ævi Novatores; alloquitur enim
Græcorum multitudinem Theatris, Scenis, Spec-
taculis, Poetarumque fabulis intentam, et
divinarum Scripturarum insciam; idque
ægrè ferens animo, vehementi concionantis
Zelo raptus, ut hos omnes ab his avertat fabu-
lis, cæterisque malorum periculis, ad divinam
Scripturam legendam hortatur omnes; legen-
dam scilicet à sapientibus, et peritis, audi-
endam verò ab alius rudibus, et indoctis; vel
si legendam, ium debitâ licentiâ legendam.

5.to Si dura vel antiquata Patrum 19.
dicta reperiantur, cavendum, ne ea corri-
gamus, aut mutemus, ~~et hij~~ vel in usum
trahamus hujusmodi duriores nec hodie in
Ecclesiâ amplius usu receptas locutiones, sed
benignè et reverenter à nobis sunt exponen-
da; non corrigamus aut immutemus, quia
sic Patres non interrogaremus, sed doceremus;
non in usum trahamus, sive usurpemus, quia
ad tollendum erroris periculum et occasio-

16. nem eas non amplius usurpat Ecclesia. Sic v.g. licèt Christus interdum à Patribus dicatur homo Dominicus, non est usurpanda hujusmodi locutio, quia eam hodie non usurpat Ecclesia; nec corrigenda tamen aut mutanda, sed piè et reverenter explicanda: dicendo nempe, sic Christum à SS: Patribus olim hominem Dominicum vocatum fuisse, non ratione suppositi, qui Dominus est, et non aliquid Domini; sed ratione humanæ assumptæ naturæ, quæ est instrumentum Domini. Sic quando S. Basilius et alii cum Tertulliano interdum dicunt, in Eucharistia Sacramentò panem esse figuram Corporis Christi, non est pariter corrigenda, mutanda, vel usurpanda hæc locutio, quia eam non usurpat Ecclesia; sed benignè, et modestè explicanda, dicendo nempe, quòd quamvis Corpus Christi sit vere in hoc venerabili Sacramentò Eucharistiæ, ut ipse S. Basilius aliique cum totâ Ecclesiâ alibi passim fatentur SS: Patres; tamen quia hic nobis in propriâ et naturali specie ~~apparet~~ et figurâ apparet, sed sub specie et figurâ panis, ideò dicitur à Sanctis illis Patribus, esse ibi in figurâ, seu sub figurâ vel specie panis; sicque, et in hoc solo sensu panis figura Corporis Christi ab illis dictum est, præsertim antiquis illis temporibus, quibus hujusmodi loquendi modi nondum erant satis judiciò Ecclesiæ limati, et examinati.

20. 6.to Siquid obscurum vel fidei non satis congruum inveniamus in quodam Ecclesiæ Patris textu vel sententiâ, explicandum erit à nobis per ea, quæ alibi clarius dixerit. Sic v.g. Siquis perperam credat,

S. Chrysostomum hom. 14. in Joan. possibili- 17
tatem visionis Dei negare, dum super illud
Joannis, Deum nemo vidit unquam, ait:
Nam id, quod est Deus non modò Prophetæ
non viderunt, sed neque Angeli, neque Archan-
geli, facilè intelliget, cum non de visio-
ne Dei intuitivâ, sed de comprehensivâ
loqui ex iis, quæ dixit alibi, præsertim
dum in paræneſi ad Theodorum lapsum
cap. 7. exponens illud Petri, Bonum est,
nos hic esse, ait: Quid dicemus, quando
regiis cubiculis adapertis intueri licebit
ipsum Regem, non per speculum, neque
per enigma, sed facie ad faciem, non am-
plius, inquam, per fidem, sed per speciem?
Si enim Deum facie ad faciem nos aliquan-
do visuros asserat, Deum consequenter vide-
ri posse tenet, ac proinde in præditô locô,
dum ab Angelis, vel Archangelis Deum vi-
deri negat, non de intuitivâ, sed de com-
prehensivâ Dei visione loqui censendus
est, sicque Chrysostomus per Chrysosto-
mum explicandus.

7mo In vertendis vel interpretan- 21.
dis SS. Patrum scriptis, non tam ad verba,
quàm ad sensum est attendendum: Sic re-
prehensus olim à Rufinô S. Hieronymus,
quòd non rectè vertisset S. Epiphanii ad
Joannem Jerosolymitanum Epistolam, res-
pondit,* se non de verbô ad verbum, sed de
sensu ad sensum eam vertisse, hocque
SS. Patrum scripta vertendi genus optimum
esse.

8vo Denique observandum, quòd, si 22.
duos vel plures interdum SS. Patres opposita

* Epist. 101. ad Pammach.

18. Sentire videamus, ita ut unus neget, quod alter affirmat, neutrum improbemus vel damnemus; sed singulorum Catholicae mentis intentionem excusemus, et Dei providentiam adoremus, quae eos sic inter se opponi fortè sinit, ut ex oppositarum harum opinionum conflictu eruatur, et eluceat veritas, sicut ex duorum lapidum collisione elicitur et eluceit elicitus ignis. Sic olim Paulus restitit Petro, Polycarpus Aniceto, Cyprianus Stephano, Theophilus et Epiphanius Chrysostomo, Augustinus Hieronymo; et ex eodem Dei Zelo multoties alibi, sanctus Sancto. Sicet hodie de multis sub judice pendentibus disputat Schola cum Schola, Theologus cum Theologo, Catholici licèt hi omnes, et pro fide Catholicâ mori parati singuli.

23. His regulis ita positis Sciendum insuper, Sanctos Ecclesiae Patres, quorum Scripta laudantur in Ecclesiâ, in tres classes distribuipossè, quarum prima est eorum, qui Apostolicis, aut immediatè proximis florunt temporibus usque ad S. Irenaeum, qui initio saeuli 3tii floruit. Secunda eorum, qui post Apostolica tempora ad quintam oecumenicam Synodum anno Christi 553. sub Vigiliô Romanô Pontifice Constantinopoli coactam vixêre. Tertia denique eorum, qui deinceps clarnêre ab hac Oecumenicâ Synodô usque ad S. Thomam Doctorem Angelicum, et S. Bonaventuram Doctorem Seraphicum, qui etiam Patribus meritò adnumerari possunt, quamvis paulò recentiori aetate floruerint, ut qui Scriptionibus suis doctissimis Ecclesiam apprimè illustrarint, eamque adversus haereses tuti sint p.

Præstat eorumdem Secundùm Sæcu- 19
la et ætates, quibus floruêre, hîc texere no-
menclaturam, ut et Scriptionum, quæ
ipsis adscribi solent; additô semper obitûs
illorum die, aut saltem annô.

24.

Sæculô 1mô *

* Prima classis SS: Patrum.

De S. Martiali. An. 74.

S. Martialis * obiit an. Chr. 74.

Equidem dubitant nonnulli, quo tem-
pore, an primô scilicet, vel tertiô tantùm
Sæculô, cum Sociis in Gallias primùm vene-
rit S. Martialis primus Lemovicensium
Episcopus; attamen communis et antiqua
Lemovicensium traditio, pluriúmque ve-
terum Breviariorum et Martyrologiorum
lectio tenet, eum à Petrô missum illuc
primô nascentis Ecclesiæ Sæculô venisse,
et esse illum, qui dicitur de Tribu Benja-
min Stephani Protomartyris consangui-
neus, à S. Petrô, Christô jubente, baptiza-
tus annô ætatis 15. unus è 72. Christi dis-
cipulis, et qui post baptismum cum Christô
tribus annis permansit, et tredecim cum
Petrô, quinque videlicet Jerosolymis, sep-
tem Antiochiæ, et uno Romæ; unde tandem
à Petrô in Galliam Aquitanicam missus cum
Austricliniano et Alpiniano ibi per 28. an-
nos in Episcopali ministeriô primus Lemo-
vicensium Episcopus vixit, tandémque post
varios Galliæ populos Evangelicâ luce irra-
diatos, videlicet Tolosanos, Burdigalenses,
Ruthenenses, Arvernos, Miniatenses, et
alios, post eversa varia Gentilium idola,
post edita plura miracula, post primam
in Galliâ sub S. Stephani Protomarty-

NB. *

20. ris nomine, Lemovicæ Christo dicatam Ecclesiam, in coelum migravit, annô ætatis suæ 59. Apostolatûs sive Episcopatûs sui 28. et à Christi ad coelos ascensu 40. ac proinde annô post Christum natum 74. relictis, ut fertur, duabus Epistolis; quæ habentur in Bibliothecâ Patrum, tom. 3. edit. Lugd. apud nos pag. 1.

Duæ circumferuntur sub S. Martialis nomine Epistolæ. habentur etiam inter opera Clementis Romani in nostrâ Biblioth. p. 437.

Prima est ad Burdigalenses jam in Christô renatos directa et 13. complectens capita, in quâ jam absens Martialis eis in memoriam revocat ea, quæ præsens docuerat, ut eos in fide confirmet.

Secunda est ad Tolosanos pariter in Christô regeneratos directa et 28. capitibus comprehensa. In eâ hortatur illos, ut perennes Deo gratias agant de suâ per baptismum regeneratione, et à damnationis æternæ caligine per Christum ereptione. Varia deinde tradit eis tùm fidei, tùm vitæ Christianæ documenta, et eis reducit ad memoriam illa, quæ jam apud eos evangelizaverat. Testatur etiam se fuisse cum Christô eo tempore, quo à Judâ osculô traditus fuit.

Piæ quidem imò et utiles forent ad firmanda contrà nostri ævi hæreticos varia Ecclesiæ dogmata, qualia sunt v.g. Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Signum crucis, Sanctorum cultus &c. Si genuinas eas esse et sæculô primô conscriptas certum foret: verùm supposititias esse colligitur 1º. Quia in iis passim citantur Scripturæ Sacræ textus juxtâ versionem S. Hieronymi. 2º. Quia decem primorum Ecclesiæ Sæculorum Scrip-

tores nullam de iis mentionem fecerunt. 21.

3º denique, quia illarum autor dicit, se cum aliis Discipulis interfuisse, quando Judas osculô Christum tradidit, cùm tamen duodecim, si iis Judas etiamnum adnumeretur, duntaxat Christi discipulos tum adfuisse Scriptura memoret; Matth. 26. v. 21. et Marc. 14. v. 17.

8/12

25.

De S. Clemente Romanô. * an. Chr. 102

* S. Clemens Romanus. obiit an. Chr. 102.

S. Clemens patriâ Romanus, Faustiniani filius, Apostolorum Coadjutor et discipulus, quartus post Petrum, Linum et Cletum*, et sui nominis primus Romanus Episcopus, cujus meminit Paulus Philip. 4. v. 3. Hic est Summus ille Pontifex, qui Septem urbis regiones divisit septem notariis, singulas singulis attribuens, qui Martyrum passiones et acta conscriberent. Cùm verò doctrinâ et vitæ sanctitate multos ad Christi fidem converteret, ab Imperatore Trajanô relegatus est trans mare Ponticum ad Chersonesi Taurica deserta, in quibus locis aquarum penuriâ siccis et aridis, ut Christianis summeret numerô multis ibi detentis, et ad secanda marmora ab eodem Imperatore damnatis, suis precibus à Deô fontem aquarum obtinuit, quo miraculô in iram comitatus Imperatoris præfectus, Clementem in mare alligatâ ad collum anchorâ submergi præcepit, nonô Pontificatûs sui annô, Imperii Trajani 3tiô et Christi 102. die 23. Novembris: sicque pro fide Catholicâ aquis submersus ad coelum evolavit.

* Græci veteres, Ignatius, Irenæus, Eusebius; et ex Latinis Optatus et Augustinus, ep. 164. Cletum non agnoscunt, sed Anacletum, quem perhibent Clementis Successorem.

Scripta S. Clementis nomine vulgata. 1º Duæ ad Corinthios Epistolæ.

Omnia ejus opera sunt apud nos. edit Colon. 1570. in fol. cum notis.

Sub illius nomine varia circumferuntur Scripta, ut 1º Duæ ad Corinthios Epistolæ, in quarum primâ, occasione seditionis apud Corinthios exortæ, hortatur eos ad fraternam concordiam et humilitatem. Hæc pro geminâ ab omnibus habetur, illiusque meminit Hieronymus, de Script. Eccles. necnon reperitur tom. 1. Conc. Altera verò, quæ sub illius nomine fertur, à veteribus rejicitur, inquit S. Hieronymus post Eusebius. Eam tamen genuinam esse contendunt aliqui, et de illâ intelligendum esse S. Hieronymum, cùm lib. 1. contrâ Jovinian. c. 4. de Spiritualibus Eunuchis, ait: Ad hos et Clemens Successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnémque penè sermonem suum de Virginitatis puritate contenuit.

2º Duæ ad Jacobum fratrem Domini.

2º Duæ aliæ epistolæ ad Jacobum fratrem Domini, in quarum primâ narrat Clemens, quomodò S. Petrus ipsum invitum Successorem suum elegerit, et omnia præcepta ab eodem sibi tradita explicat; et in alterâ de Sacramentis, de Sacratis vestibus ac vasis Jacobum instruit: Verùm suppositiæ communiter reputantur; idque patet, de primâ quidem, quia in eâ Jacobo significatur S. Petri obitus; cùm tamen constet Jacobum fratrem Domini et Jerosolymorum Episcopum jam, antequam Petrus è vivis excessisset, Jerosolymis occisum fuisse. Ergò non est Clementis, vel si illius est, ad Simonem fratrem Domini, non ad Jacobum scripta est. De alterâ verò manifestum est, eam Clementis non esse, cùm in eâ auctor illius instruat Jacobum

Prima Pap. pag 13

de Sacramentis, vestibus Sacris atque vasis, nec 23.
credi possit, Clementem Apostolorum discipulum de his instruisse Jacobum Apostolum.

3º. Tres aliæ Epistolæ ad diversos. 3º. Tres epistolæ ad diversos.
quarum 1ª est ad Coepiscopos, Presbyteros, Diaconos ac reliquos generaliter Clericos et fideles, et in quâ agit de officiô Sacerdotis. 2ª. Scripta dicitur à Clemente discipulis suis Julio et Juliano, et gentibus, inter quas habitabant, directa. 3ª. Denique Scripta dicitur suis discipulis et directa Jerosolymitanis. Ex Styli diversitate à Stylô epistolæ Clementis ad Corinthios colligunt eruditi omnes, has epistolas esse supposititias, præcipuè autem 3am ut in quâ dicatur, uxorum usum communem esse debere; quæ erat Nicolaitarum hæresis.

4º. Recognitionum libri 10. ad Jacobum fratrem Domini, sic dicti, quòd miram recognitionis seu recuperationis Patris, Matris, et duorum germanorum geminorúmque fratrum, quos omnes à teneris jam annis non viderat operâ S. Petri factæ historiam contineat. In iis multa fabulosa et nonnulla Catholicis dogmatibus adversantia leguntur; item S. Petri itinera narrantur, unde idem esse opus, quod vulgò itinerarium S. Petri dicitur, quodque apocryphum esse constat ex auctore Synopsis, et ex Romanô Conciliô sub Gelasiô I. Quare et hi Recognitionum libri inter apocryphos communiter rejiciuntur, licèt non pauca utilia documenta complectantur, et interdùm ab eruditis citentur. 3º. Recognitionum libri 10.

5º. Constitutionum Apostolicarum libri octo, sed non minus supposititii quam Recognitionum libri, utpotè in quibus plu- 5º. Constitutionum Apostolicarum libri octo.

reperiuntur veritati dissona, quale est illud lib. 3. c. 2. ubi dicitur, quartas nuptias meram esse libidinem ac impudicitiam. Lib. eodem, c. 10. quo prohibetur Laicis absolutè, ne baptizent. lib. 6. c. 15. Hæreticorum et impiorum baptisma declaratur invalidum et nullum, ac proinde iterandum. Cæterum tamen utilia et à Græcis olim multùm laudata continent documenta; nihilominus à posterioribus Græcis in Trullanô Conciliô can. 1. reprobata fuerunt, tanquam ab hæreticis depravata.

6.º Canones Apostolorum.

6.º Canones Apostolorum 85. Græcè conscripti, et ab Exiguô Dionysiô Latinè traducti, sunt certa quædam antiqua leges sive Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur ab Apostolis editæ, et à B. Clemente collectæ. Quamvis in Ecclesiâ Græcâ hi 85. Canones sub nomine Apostolorum vulgati fuerint, atque ut verè Apostolici recepti; et ex illis in Ecclesiâ Latinâ 50. duntaxat priores, aliis rejectis, eodem tempore auctoritatem aliquam habere cœperint; tamen hodiè eruditi fere omnes cum Gelasiô I. in Conciliô Romanô 70. Episcoporum, et Isidorô Hispalensi eos omnes, quamvis multa utilia continerent, apocryphos esse et suppositicios existimant. Neque eorum meminêre Eusebius, et Hieronymus, aut ullus alius S. Pater aut Scriptor sacer priorum sæculorum; cùm tamen multoties occasionem eos citandi habuerint. Eos utique citasset S. Cyprianus contrà Stephanum pro tuendâ suâ de iterandô hæreticorum Baptismô causâ; id enim can. 46. statuitur. S. Epiphanius quoque hæresi 58. Valesianorum se ipsos castrantium impugnans hæresim sine dubiô citasset Canones 21. 22. et 23. id expressè prohibentes.

2/14

Eos pariter citasset Victor Papa in controversiâ de Paschate celebrando contrâ Asiaticos, cùm Canon 7. vetet Pascha cum Judæis celebrare. 25.

7º Liturgia S. Clementis, seu Sacri Sacrificii celebrandi formula, sive Missa. De ea idem judicandum censet Bellarminus ac de Liturgiâ S. Jacobi, nimirùm idam verè Clementis esse, sicut istam S. Jacobi, sed à posterioribus auctam; quod enim sit S. Clementis colligitur ex S. Proclo tract. divina Liturgia, ubi testatur eundem S. Clementem Liturgiam edidisse. Vide Euseb. lib. 3. Hist. Hieronym. in cat. Script. Eccles. Nicph. lib. 3. c. 18. Metaphrast. in Clemente. Martyrolog. Rom. Greg. Turon. de Gloriâ Marty. Bellarm. in Cat. p. 7º Liturgia S. Clementis.

De S. Ignatio Martyre. iii.

27. S. Ignatius Martyr obiit an. Chr. iii.

S. Ignatius Evodii primi post S. Petrum Antiochiæ Episcopi anno, ut creditur, Chr. 71. ibidem Martyrii laureâ donati Successor, S. Joannis Evangelistæ cum Polycarpô discipulus, Theophorus sive Deifer, quasi Christum circumferens, vulgari cognomine dictus est. Sub Trajano Christianos persequente, ad bestias damnatus, Romam ductus, ubi Leonibus in prædam traditus, Martyr ocubuit an. Chr. circiter iii.

Sub ipsius nomine 15. Epistolæ circumferuntur, quarum septem genuinæ reputantur ab eruditis Catholicis, scilicet ad Ephesios una, ad Magnesianos una, ad Tralianos una, ad Romanos una, ad Philadelphios una, ad Smyrnenses una, et denique una ad Polycarpum Smirnæ Episcopum. Earum quippe meminêre non laudatus Polycarpus in suâ ad Philippenses epistolâ, Epistolæ 15. sub ejus nomine vulgatæ.

26. per quam eandem illis transmittit. Dionysius Areopagita; Irenaeus, Athanasius, Chrysostomus, Eusebius, lib. 3. Hist. c. 30. Theodoretus, Hieronymus, de Script. Eul. c. 16. Metaphrast. p. atque eas velut geminas laudant.

Quinque velut dubia labentur: una ad Mariam Cassobolitam, quae putatur illa, quam salutat Paulus Rom. 16. v. 6. Ad Antiochenos una. Ad Tarsenses una. Ad Philippenses una. Ad Heronem Antiochiae Diaconum una. Haec quamvis eodem stylo et spiritu ac priores septem exarata videantur, tamen ideo dubia reputantur à nonnullis eruditis, quia Eusebius et Hieronymus, dum priores septem laudant, de istis quinque altum silent.

3/15

Tres denique supposititia reputantur communiter ab omnibus, tum quia nullibi in Codicibus inventae, nec ab ullo ex antiquis Patribus laudatae fuerunt, atque primum à S. Bernardo serm. 4. in Psal. 90. memoratae dicantur; tum quia nec tempus sapiunt, nec stylum S. Ignatii. Sunt autem istae: una ad B. V. Mariam Christi matrem. Ad Joannem Seniorem seu Evangelistam duae.

28. S. Dionysius Areopagita obiit an. 120.

De S. Dionysio Areopagitâ, an. 120.

S. Dionysius Areopagita S. Pauli Apostoli in Christo filius et discipulus Sanctorum Ignatii et Polycarpi Martyrum coaevus, Athenis vel in Thracia natus, è celebri Athenarum Areopagô Senator; qui dum olim Heliopoli esset cum Apollophane Philosophô gentili, celebrem illam, quae Christô patiente contigit, Solis eclypsim observavit; ac deinde Athenas reversus, ibique S. Paulum de illâ

Christi passione, et lege Evangelicâ concionantem audiens, ad Christi fidem conversus est cum muliere nomine Damaris et aliis, ut habetur Act. 17. v. 34. et exinde relictô Areopagô Paulo adhæsit; à quo non longè post primus Atheniensium Episcopus creatus est; inde, alio in suam Sedem substitutô Episcopô, Romam profectus ad Clementem I. ab ipso unà cum aliis Apostolicis viris et sociis suis in Gallias Evangelii prædicandi gratiâ mittitur; ubi Parisiis Parisiorum primus Episcopus prædicans, et multos Gentiles ad Christi fidem trahens, à Fescenninô Præfectô unà cum sociis Rusticô Presbyterô et Eleutheriô Diaconô, multis vexatus suppliciis, tandem capite cæsus martyr ocumbuit ætatis suæ, ut valdè probabilis et antiqua multorum eruditorum est opinio, annô 110. Christ. 120. quo post Trajanum Adrianus regere cœpit Imperium.

Ejus Scripta sunt hæc: 1º Liber de cœlesti Hierarchiâ in 15. capita distributus. 2º Liber de Ecclesiasticâ Hierarchiâ in 7. capita distinctus. 3º Liber de divinis nominibus in 13. capita divisus. 4º Liber de mysticâ Theologiâ 5. capitibus comprehensus. 5º Epistolæ quatuor ad Cajum Monachum, hoc est ad Cajum è Therapeutis unum, quos Monachos idcò vocat, non quòd soli habitarent (tùm temporis enim nondum vivebantur hujusmodi Solitarii seu Monachi:) sed quòd singularem cuiscque solutam et soli Deo intentam vitam agerent: et Cajum S. Maximus in Scholiis putat esse illum, ad quem S. Joannes Evangelista suam tertiam scripsit epistolam. 6º una ad Doro-

Scripta ipsius

28. theum Ministrum seu Diaconum. 7º Ad Sosipatrum Sacerdotem una. 8º Ad Polycarpum Smirnæ Præsulem una. 9º Ad Demophilum Monachum sive Therapeutam una. 10º Ad Titum Cretæ Episcopum à S. Paulo constitutum una. 11º Ad S. Joannem Apostolum et Evangelistam in Patmos unâ ex Cycladibus insulâ exulantem una. 12º Ad Apollophanem Gentilem Asiæ Philosophum una.

4/16

Quamvis haud paucis eruditis viris Hæc Scripta non esse genuina S. Dionysii Areopagitæ opera, communis tamen et inconcussa aliorum Doctorum opinio tenet, Scripta hæc sub Dionysii Areopagitæ nomine laudata et in Ecclesiâ usu recepta, genuina esse ipsius opera, 1º Quia Scripta hæc manifestè indicant autorem eorum esse primi Sauli virum, cùm lib. de divin. nom. c. 2. et 3. se Pauli Apostoli discipulum nominet. Ad Titum Pauli discipulum scribat, ad Joannem Evangelistam, et ad Polycarpum Joannis discipulum; atque scribens ad Apollophanem se Solis eclipsim patiente Christô factam unà cum ipso observasse notet; neuon denique se beatæ Virginis exequiis interfuisse dicat cum Petro, Jacobo fratre Domini et aliis, lib. de divin. nom. c. 3. Nullus autem inter Christianos recensetur Dionysius, qui primô sæculô scripserit, præter Areopagitam. Ergò ipsa opera, sub nomine ipsius laudata, verè illius sunt; nisi quis ineptè satis dicere maluerit, autorem hunc fuisse virum insigniter mendacem, fallacem et

4 videantur

impostorem aliquem; quod tamen nec Deui nec cogitari potest de autore isto, ut potè cujus Scripta ubique miram sapiunt pietatem, sinceritatem, gravitatem, et sanctimoniam. 2°. Quia à tredecim et ultrà saculis sub nomine Dionysii Areopagita fuère citata atque recepta tam à Conciliis, Summis Pontificibus, et à sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm ab innumeris aliis viris eruditis. 29.

De S. Papiâ. 126.

29. S. Papias obiit an. Chr. 126. *

S. Papias Aristionis, et Joannis seniores, seu Presbyteri, et non Apostoli, auditor, S. Polycarpi familiaris et coæva, Hierapolitanus in Phrygiâ Asiæ minoris Episcopus fuit. Is est, qui primus autor creditur opinionis, seu fabulæ de millenariô, post resurrectionem, in terris Christi cum sanctis futurô regnô, quem secuti sunt Justinus, Irenæus, Apollinaris et alii.

Scripta ejus.

Juxta Eusebium et S. Hieronymum quinque scripsit libros sub titulo Explanationis Sermonum Domini, quorum hodie nonnulla duntaxat supersunt fragmenta, et in quorum præfatione monet se non varias opiniones, sed Apostolorum collegisse dicta ab iis, qui cum illis fuerant conversati. Vide Euseb. Hist. S. Hieron. in cat. S. Iren. lib. 5. p.

30. S. Quadratus an. Chr. 126.

De S. Quadratô. 126.

S. Quadratus Apostolorum Discipulus post Publium Martyriô affectum Athenienis Ordinatus Episcopus, Ecclesiam gran-

30. Di terrore dispersam, fide et industriâ sua congregavit.

Ejus Apologia.

Apologiam à se conscriptam pro Christianis, seu Apologeticum pro Religione Christianâ librum Adriano Imperatori porrexit. Circâ annum Chr. 126. Superstes adhuc fuisse dicitur. Vid. Euseb. lib. 4. Hist. Hieronym. de Script. Eccl.

5/17

Sæculô Secundô.

31

S. Justinus Martyr. Obiit an. chr. 150. vel 165.

De S. Justinô Martyre. 165.

S. Justinus Philosophus et Martyr, Prisci Bachii filius Neapoli Palæstinæ provinciæ urbe oriundus, Romæ tamen commoratus, ibique verbô, vitâ et habitu Philosophum agens, accusatus à Crescente Cynicô, quòd Christianus esset, pro Christô mortem subiit martyriô affectus Romæ an. chr. 150. ut volunt nonnulli, vel potiùs an. 165. ut opinantur alii: ætatis suæ an. 30. secundùm aliquos, et 50. secundùm alios.

Opera ipsius.

Varia scripta eidem tribuuntur, quorum quædam genuina sunt et certa, quædam verò dubia vel supposititia, et alia temporum injuriâ deperdita.

genuina.

Genuina et indubitata sunt hæc: 1º. Oratio parænetica ad græcos, sive gentiles. 2º. Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem. 3º. Altera Apologia pro iisdem ad Senatum Romanum. 4º. De Monarchiâ Dei liber. 5º. Dialogus cum Tryphone Judæô de veritate Christianæ Religionis. 6º. Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio.

Dubia verò vel Supposititia sunt 31. Dubia vel supposititia
1º Expositio catholicæ et orthodoxæ fidei. hoc est, Liber de rectâ confessione, sive de Sanctâ consubstantiali Trinitate. 2º. Ad Zenam et Serenum de vitâ Christianâ Epistola sive liber per modum epistolæ. 3º Responsionum libri duo, quorum unus continet responsiones Christianas ad quæstiones Christianorum; alter responsiones Christianas ad quæstiones Ethnicorum, de incorporeô, de Deô, et de resurrectione mortuorum.

Deperdita denique Justini opera hæc numerantur: 1º Liber de animâ. 2º liber Psaltes inscriptus. 3º Liber contrâ hæreses omnes. insignia volumina, quorum meminit S. Irenæus in suô quintô adversùs hæreses librô; imò et liber de Monarchiâ Dei dimidius periit. Deperdita.

De S. Polycarpo. 169. 32. S. Polycarpus. Martyrium passus est an. Chr. 169.

S. Polycarpus Sancti Joannis Apostoli discipulus, et ab eo Smyrnensis ordinatus Episcopus, Sanctorum Ignatii, Dionysii Areopagitæ, Justini et Plotini primi Lugdunensis Episcopi coævus et æqualis, cùm ob motas de die Paschæ quæstiones aliquas, imperante Antoninô piô, et Ecclesiam regente Anicetô Papâ Romam venisset, plurimos de credentium numerô Marcionis et Valentini persuasione deceptos reduxit ad fidem. fertur, quòd, cùm fortuitò ei obviam venisset Marcion et dixisset: Cognoscis nos? responderit, Cognosco te primogenitum Diaboli. Posteà regnante M. Antoninô Verô et L. Aureliô Commodô quartâ post Neronem perse-

cutione Smyrna sedente proconsule, et universô adversùs eum, in Amphitheatrô personante populô, igni traditus, gloriosâ Martyrii palmâ donatus est, an. Chr. circiter 169. Vid. Euseb. lib. 4. Hist. et in Chron. ad ann. 157. S. Hieron. in Cat. c. 17. Socrat. lib. 5. Hist.

6/18

Epistola ipsius ad Philipp. extat apud nos ad calcem operum Clementis Romani latinè in Bib. PP. Tom. 1.

Scripsit insignem et utilem ad Philippenses epistolam, quæ olim, teste S. Hieronymô, publicè in Asiæ Ecclesiis legebatur, quæque cum S. Ignatii epistolis reperitur, et in quâ illas ad eos misisse memorat.

De S. Melithone. 170.

33. S. Melitho. obiisse creditur an. circiter 170.

S. Melitho Sardensis in Asiâ Episcopus, cujus elegans et declaratorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris, quos pro Montanô adversùs Ecclesiam scripsit, eum à plerisque nostrorum prophetam putari ait. Floruit sub M. Antoninô verô. Obiisse creditur an. circiter 170.

Ejus Scripta.

Scripsit Apologeticum pro Christianâ Religione librum, quem Imperatori obtulit. Item epistolam ad fratrem Onesimum, in quâ catalogus texitur librorum Veteris testamenti, quæ reperitur apud Euseb. lib. 4. Hist. De Apologeticô autem hô librô liquet de multis aliis ejusdem scriptis nihil hodie superest, præter fragmenta nonnulla ab Eusebiô lib. citatô collecta.

*Suppositius. est libellus iste, et à Gelasiô Papâ inter apocrypha meritò computatur, et indignus Melithone judicatur.

*Libellum de transitu Virginis, seu de Assumptione B. Mariæ Virginis, qui S. Melithonis nomine circumfertur in Bibliothecâ Patrum nusquam memorant Eusebius et S. Hieronymus, quamvis plura alia ejusdem opera numerent. Vid. Euseb. lib. 4. Hist. c. 25. S. Hier. de Script. Eccl. Gelas. Pap. c. Cum Sancta Dist. 15. apud Gratianum.

33.

De S. Dionysio Corinthio. 174.

34. S. Dionysius Corinthius, an. 174.

S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, unde Corinthius nuncupatus, secundo saeculo floruit, tanta eloquentia vir, tantoque in universalis Ecclesiae bonum praeditus zelo, ut non solum suae Ecclesiae populos, sed et aliarum Ecclesiarum Episcopos et oves suis erudiret epistolis, quarum octo referunt Eusebius, et Hieronymus. nempe ad Lacedemonios. ad Athenienses. ad Nicomedienses. ad Amastrianam in Ponto Ecclesiam. ad Gortinensem in Creta Ecclesiam. ad Gnossianos et ad Pinytum Gnossianorum in Creta Episcopum. ad Romanos et ad Soterum Romanae urbis Episcopum. Denique ad Chrysophoram sanctam foeminam.

Eius epistolae

Claruit sub M. Antonino Vero et L. Aurelio Commodo Impp. Deco Euseb. in Chron. et lib. Hist. Eccl. S. Hieron. de Script. Eccl. Ado in Chron. an. 164. et Baron. ad an. 175.

35. Secunda Classis SS. Patrum.

Saeculo Tertio.

De S. Irenaeo Martyre. 202.

S. Irenaeus, quod graecum nomen latine Pacificum sonat, natione Graecus S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi auditor et discipulus, ab eodem cum pluribus aliis in galliias missus, Lugduni substitit, eo tempore, quo Photinus primus Lugdunensium Episcopus eandem regebat Ecclesiam; cui nonagenario cum pluribus aliis Martyrii palma donato successit in Episcopatum jam senagenarius. cumque per 23. circiter annos huic praefuisset Ecclesiae, tandem Severi Impera-

S. Irenaeus Martyr obiit. an. 202. vel 205.

7/19

34 toris persecutione saviente, cum omni ferè sua civitatis populô, propè nonagenarius martyrium subiit, die 28. Junii. an. Chr. 202. vel juxta Baronium, an. 203.

~~Ejus opera quæ adhuc supersunt, nempe libri 5. adversus Hæreses.~~

Ex ejus operibus, quos juntâ Hieronym. et Euseb. græcè conscripsit, nulla nobis supersunt præter Libros quinque adversus Hæreses Valentini et similium Gnosticorum. Hoc est eruditum et celebre opus illud in libros quinque divisum, quibus Valentini, et similium Gnosticorum, videlicet Marci, Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Cerinthi, Ebionis, Nicolaitarum, Cerdonis, Marcionis et Tatiani perniciosas detegit et refellit hæreses.

Deperdita.

Plura adhuc scripsit hic S. Ecclesiæ Doctor, quæ, si duarum epistolarum fragmenta, ad Florinum nempè et ad Victorem Papam, excipias, vel temporum injuriâ vel hæreticorum fraude sunt deperdita. Sunt autem hæc: Liber unus contrâ Gentes de Disciplinâ inscriptus, de quo Euseb. lib. 5. Hist. c. 25. Ad Marcianum fratrem liber unus de Apostolicâ prædicatione. Variorum Tractatuum Liber unus. De Ogdoade seu octonariô numerô commentarium. Ad Blastum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Valentinianum contendentem, non aliter celebrandum esse Paschale festum, quàm more Judæorum 14tâ nempè lunâ mensis Martii /à quo proinde fatale Quartodecimanorum Schisma traxit initium:/ Epistola de Schismate.

Ad Florinum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Valentini discipulum et Basti socium epistola altera, de Monarchiâ; cujus nobis fragmentum duntaxat superest. Denique ad Victorem Romanum Pontificem

De Paschali celebrandô die epistola, quâ eum hortatur ne Polycratem Ephesiorum Episcopum et Asiaticos, quòd Europæorum more Pascha die Dominicô celebrare nollent, sed illud more Judæorum agerent, decretâ excommunicatione percelleret. 35.

De Tertulliano. 216. 36. Tertullianus.

Tertullianus natione Afer, patriâ Carthaginensis, patre natus Ethnicô Centurione Proconsulari, vir acri præditus ingeniô ac vehementi, divinis imbutus disciplinis pariter et humanis, circâ an. 196. sub Victore Rom. Pontif. et imperante Septimô Severô, è Gentili ad Christi fidem conversus, pro more Christianô dimissâ togâ pallium induit. Carthaginensis Ecclesiæ postmodùm Presbyter effectus, quam plurimos eruditione plenos pro Ecclesiâ scripsit libros. Tandem cùm, ut ait S. Hieronymus, usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, Procli cujusdam Montanistarum hominis insaniâ delusus, et aliunde Clericorum Ecclesiæ Romanæ contumeliis et invidiâ læsus, ad insanum Montani dogma turpiter lapsus est; atque contrâ Ecclesiam varia edidit volumina, in quibus varios aspersit errores; quibus nec vacui sunt libri illi, quos pro Ecclesiâ scripsit. Eorum præcipuos infrâ adnotabimus. Ob ingentem suam eruditionem, et quia Ecclesiæ dogmata contrâ hæreticos stremiè propugnavit, nihilominus à veteribus Ecclesiæ Patribus adnumeratus fuit, et adhuc adnumeratur.* fertur vixisse ad decrepitam ætatem usque, et multa quæ non extant, opuscula condidisse, teste Hieronymô de Script. Eccl. Sed an post lapsum, ad Ecclesiam redierit, quo-

floruit initiô sæculi tertii. quo annô obierit incertum. post annum 216. adhuc eum superfuisse arbitramur.

8/20

* Seu potiùs velut Scriptor Ecclesiasticus habetur.

etiam mortis genere, ubi, et quando vivere desierit, nusquam constat.

Scripta ejus pro Ecclesiâ.

Scripta ejus pro Ecclesiâ hæc sunt: 1º Apologeticus liber pro Christianis persecutione vexatis sub Severô Imp. et sæviente quintâ post Neronem persecutione. 2º. Ad Nationes libri duo de eodem argumentô. Sed illius operis paginæ complures ita corruptæ vel corrosæ, aut injuriosô vetustatis pede quassatæ sunt, ut, quale nobis hodie superest, videatur parum utile. 3º De testimoniô animæ liber unus, quo probat, animam testari Dei veri existentiam. 4º. Ad Scapulam provinciæ Africæ Præfectum liber unus pro Christianis non vexandis. 5º De Spectaculis vitandis liber unus, occasione ludorum sæcularium Romæ editorum imperante Severô, in quibus varia exhibebantur certamina, et varia voluptatum occasio præbebatur, scriptus. 6º De Idololatriâ, quàm grave sit scelus, liber unus.

7º De coronâ militis liber unus, pro tuendô Christianô milite, ob non gestatam in capite coronam "seu" "lauream castrensem", quàm cæteri gentiles milites, ex laurorum suorum ritu gestabant. In hoc libô mirâ de Traditione profert, quibus Traditiones non scriptas recipiendas esse suadet, pa. 8º De Pudiô liber unus, quo rationem reddit, cur à togâ, quæ Ethnicum denotabat, transierit ad pallium, quod Christianum indicabat, hoc est, cur relictâ superstitione Ethnicâ Christi militiæ nomen dedisset. 9º De duplici pœnitentiâ, unâ scilicet, quæ fit ante Baptismum, alterâ, quæ fit post baptismum, quam græcô vocabulô Exomologesim vocat. 10º De Oratione liber unus,

Dominicalem orationem explicans. 11º 37.
Ad martyres liber unus, eos ad perseverantiam exhortans. 12º De patientiâ liber unus, Christianis omnibus patientiam exponens et suadens. 13º De habitu muliebri liber unus, in quo mulierum in vestibus luxum arguit. 14. De cultu foeminarum liber alter, de eodem argumentô. 15º Ad uxorem suam libri duo, quibus suadet ei, ut, si ipse priùs illâ moriatur, non denuò nubat; vel si nubere velit, Christiano, et non Ethnico, nubat. 16º De velandis virginibus liber unus, quo probat, virgines esse velandas. 17º Adversùs Judaeos liber unus, quo Messiam venisse probat. 18º De praescriptione haereticorum liber unus, quo probat haereticorum doctrinas non esse audiendas, quia novae sunt. 19º De Baptismô liber unus, quo Baptismi necessitatem ostendit. 20º Adversùs Hermogenem haereticum ex Africâ virum liber unus, quo materiam non aeternam esse probat. 21º Adversùs Valentinianos liber unus, Deorum multitudinem evertens. 22º De animâ liber unus, in quo varios de animâ intermiscet errores.
23º De carne Christi liber unus, quo Christum veram sumpsisse carnem probat contrâ Marcionem, Apellem, Valentinum, et Basilidem haereticos. 24º De resurrectione carnis liber unus, quo futuram corporum resurrectionem astruit.
25º Adversùs Marcionem libri quinque, quibus impugnat haeretici huius de duobus Diis bonô uno, malô altero Haeresim.

Prima Qqq
pag. 21.

38. 26.º Scorpiaum seu antidotum liber unus, de bonô Martyrii contrâ Gnosticos martyrium inutile dicentes. 27.º Adversùs Praxeam, qui primus ex Asiâ Patripassianorum hæresim Romam intulerat, liber unus, quo Deum Trinum in personis esse defendit.

Scripta ejus contrà Ecclesiam.

Scripta Tertulliani contrâ Ecclesiam verò hæc sunt: 1.º De exhortatione castitatis liber unus, quo secundas nuptias dissuadet, atque in eas adeò invehitur, ut quasi adulterium idas reprobet. 2.º De monogamiâ seu ~~unicis~~ nuptiis liber alter, quo secundas nuptias apertè reprobat et damnat. 3.º De fugâ in persecutione liber unus, quo perperam asserit, illicitam esse in persecutione fugam. 4.º De jejuniis adversùs Psychicos seu animales liber unus, quo Montani rigida et insolita jejunia tuetur contrâ Catholicos.

5.º De pudicitiâ liber unus, in quo Bigamos, seu secundis nuptiis junctos, quasi moechos ad poenitentiam non admittendos esse contendit.

Dubia Tertulliani Scripta.

Præter hæc opera duo adhuc sub nomine Tertulliani circumferuntur libri, De Trinitate unus, alter De cibis Judaicis. Primum esse illius vult Rufinus; negat verò S. Hieronymus, vultque illum esse Novatiani cujusdam, quia in eo nominatim Sabelliana refellitur hæresis, quæ primùm post Tertulliani tempora, et Novatiani ætate grassari coepit. Alter verò non sapit Tertulliani stylum, sed Episcopi cujusdam populo suo scribentis, inquit Bellarminus.

Errata denique Tertulliani præcipua hæc sunt: 1º. Quòd Deum corporeum esse dixerit, lib. de pœnit. c. 3. lib. adv. Hermogenem c. 35. lib. adv. Praxeam c. 7. et lib. de carne Christi c. 11. 2º. Quòd animam corpoream esse docuerit, lib. de animâ c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. lib. de carne Chr. c. 11. et lib. de resur. carn. c. 17. 3º. Quòd eam ex tradue per semen fieri senserit, atque simul cum carne in uterô matris seminari. lib. de anima c. 9. 22. 27. et 36. 4º. Quòd justorum animas ante diem judicii in cœlô recipi negaverit, lib. de animâ c. 55. et alibi passim.

5º. Quòd millenarium Christi in terris regnum post resurrectionem futurum asseruerit variis in locis, præsertim in fragmentis libri de Spe fidelium, dicens: In terrâ quidem regnum Christi nobis repromissum ante cœlum post primam resurrectionem*, sed tamen ita ut in eo reficiantur sancti omnium spiritualium bonorum copiâ.

* Per primam resurrectionem hic perperam intelligit Tertullianus eam, quæ fiet in universali corporum resurrectione, cùm tamen certum sit ex SS. Patribus præsertim Augustinô lib. 2. de civ. c. 7. 8. et 9. primam resurrectionem esse animarum, post illius à corpore separationem; secundam verò esse corporum resurrectionem, post hujus mundi finem et in die judicii extremi.

6º. Quòd baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos esse temnerit, lib. de præscript. c. 12. lib. de baptismô, c. 15. et lib. de pudicitiâ c. 19.

7º. Quòd secundas nuptias ut stupra damnaverit, lib. de resurrect. carn. c. 8. et in libris De Exhortatione castitatis, De Monogamiâ, et De Pudicitiâ. 8º. Quòd B. V. Mariam semel post enixum Christum nupturam dixerit, lib. de Monogamia c. 8.

9º. Quòd fugam in persecutione ut idiotam arguerit. lib. toto De fugâ in persecutione.

Reperiuntur plura adhuc Tertulliani errata, sed hic sufficiat notasse præcipua ex quibus satis patet, mirum non esse, quòd

2/22

40. à Gelasiô Papâ in Romanâ 70. Episcoporum Synodo idius opera apocrypha fuerint dicta; unde cautè et cum prudenti judiciô legendi sunt nedum libri illi, quos in Haresi et contrà Ecclesiam edidit, sed et eos, quos pro Ecclesiâ scripsit, præsertim quos adversùs Praxeam, Hermogenem, De animâ, De carne Christi, et De poenitentiâ scripsit, peruvrere oportet, utpotè in quibus nonnulla erronea et suspecta inveniuntur. Uno verbô, S. Hieronymi consilium sequi nos oportet, ac Tertulliamum sic legere, quo modô Origenem, Novatum, Arnobium, Apollinarium; et nonnullos alios Scriptores Græcos pariter, et Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemúsque contraria, juntâ Apostolum dicentem 4. Thessal. c. 5. v. 21. Omnia probate; quod bonum est tenete p. Vide Euseb. in Chron. et lib. 2. Hist. S. Hieronym. in Cat. S. Hilar. in Matth. S. Aug. de hæret. Baronium, Bellarm. p.

37. Clemens Alexandrinus, obiisse creditur an. Chr. circiter 220.

De Clemente Alexandrino. 220.

Titus Flavius Clemens, vulgò et meritò dictus Alexandrinus, quia Alexandriæ natus, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, et Alexandriæ Pantæni Philosophi quondam auditor fuit, ac Pantæni post mortem in Ecclesiasticâ Alexandriæ Schola Successor, ibique Origenis Magister, et Neophytarum catechistes venerandus et insignis. Floruit sub Severi Imperatoris ejusque filii M. Aurelii Antonini Caracallæ temporibus, secundô cadente sæculô, et obiisse creditur ineunte tertiô, circâ annum Chr. 220. postquam Ecclesiam miræ suâ eruditione illustrasset.

3
23

Ex variis, quæ scripsit operibus hæc supersunt tantùm: 1º Oratio ad Gentes, seu ad infideles et nondum in Christum credentes, in quâ illos hortatur, ut abjectô falsorum numinum cultu Christianam Religionem amplectantur. 2º Pædagogi libri tres, in quibus vitæ moralis disciplinam tradit. 3º Stromatum libri octo, sive Commentariorum de variâ multiplicique litteraturâ ad instruendum Christianum Philosophum libri octo. Stromata vocantur, hoc est, Stragula ob miram rerum varietatem, quam ibi sternit, exhibet, et exponit; sicut enim Stragula vestes sunt veluti ex variis centonibus contexta; sic Clemens Alexandrinus in opere isto nedum varia de divinis litteris sternit et contexit, sed si quid sit apud Græcos scitu dignum affert, sicque varia de Philosophiâ et de Religione miscens, veram et Christianô dignam tradit scientiam. Hujus operis initium temporum injuriâ deperiit.

4º Scripta ejus quæ adhuc supersunt.

De Origene. 254.

38. Origenes obiisse creditur an. Chr. 254.

Origenes vir fuit Ægyptius natione et patriâ Alexandrinus, Sancti Leonidis Martyris filius, et in fide ac sacris litteris discipulus Clementis Alexandrini. Ita castitatis amans fuisse dicitur, ut in persecutione Deciana post varia pro Christi fide superata tormenta, tandem maluerit fidem negare, et thus idolis offerre, quàm castâ castitate, impuro Æthiopi misceri, et nefandô contaminari crimine. Fuit ingenio sublimis, et eruditione profundus*, ait de illo S. Hieronymus; verum Philosophiâ

* adeò patiens laboris fuit, ut ob infatigabilem

in Scribendo, legendóque patientiam Adamantius fuerit cognominatus.

deceptus Platonicâ, tot errores ac impia dogmata locutus est, ut illum non Origenem, sed hæresum ferè omnium originem vocitent nonnulli, et expressè illum sanè non sensisse de Spiritu Sanctô dicat S. Basilius, illum inter hæreticos recenseat Sanctus Epiphanius, et illi sicut et Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, et Eutychetti, anathema dicat Oecumenica V. Synodus. Quamvis olim defensores suos habuerit*. Obiisse creditur Tyri an. Chr. 254. ætatis suæ 69. qui juxta Cassiodorum, Ubi bene, nemo meliùs; ubi malè nemo pejùs. tot opera scripsit, ut nemo mortalium plura, ut mihi non solùm perlegi, sed nec inveniri posse videantur, inquit Vincentius Lirinensis: edidit enim, Epiphaniô teste, sena millia librorum, et ferè in totam S. Scripturam; pauca tamen nec omnia indubitata reperiuntur hodie.

Præcipua ejus Scripta sunt hæc: 1º. Homiliæ sive Tractatus, vel Commentarii in Scripturam. ut in Genesim, Homiliæ 17. in Exodum, 13. In Leviticum, 16. In Numeros, 28. In Josue, 26. In librum Judicum, 9. In Librum Regum, 1. In Psal. 36. 37. et 38. Homiliæ 9. In Cantica, 9. In Isaïam, 9. In Jeremiam, 14. In Ezechielem, 14. In Job, 4. In Matth. Tractatus 35. In Lucam Homiliæ 39. In Joannem Tractatus 30. In Epistolam ad Romanos, tractatus 36. 2º. Periarchon, seu de principiis libri 4. quibus præcipua exponuntur Religionis nostræ principia. 3º. De rectâ in Deum fide Dialogi tres contrà Marcionitas. 4º. Contrâ Celsum

* Pro eo apologias ediderunt Eusebius Cæsariensis, et Ruffinus Presbyter, et alii. Nec desunt hac nostrâ ætate Orthodoxi Scriptores, qui ea, quæ paulò duriùs circa mysterium SS. Trinitatis elocutus est, benignè interpretentur. Ipsius Scripta indubitata.

Extat apud eos ejus in Scripturam Commentarius Græco-Latin. duobus volumin. in fol. Lipsiæ 1689.

Ethnicum de Epicureâ Sectâ virum libri 8. quibus refellitur calumniosus Celsi in Christianos Liber, cui Veri Sermonis titulum dederat. 5.° Philocalia sive de amore pulchri liber unus, in quo continentur diversæ S. Scripturæ quæstiones et solutiones earum ex variis ejusdem libris à Gregoriô Nazianzenô excerptæ. 6.° De historiâ Susannæ epitome cum Epistolâ pro resolvendis propositis circâ hujus historiæ veritatem dubiis. 7.° Tetrapla, Hexapla, et Octapla ab Origine contexta. Tetrapla nihil aliud sunt, quàm quatuor Veteris Testamenti editiones, nimirùm Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, totidem diversis columnis exhibita. Hexapla verò sunt sex editiones, nimirùm quatuor prædictæ, et duæ aliæ Hebraïcæ iis additæ, una litteris Hebraïcis, Græcis altera. Octapla denique sunt sex illæ, et duæ aliæ sine autoris nomine iisdem superadditæ*.

* vide Tract. de S. Script. part. 1. c. 7. de variis S. Script. editionibus, pag. 141.

Sub nomine Origenis præter memorata opera præ manibus habemus adhuc, In Job libros tres; et in eundem Commentaria. Sed hæc illius esse negat Bellarminus, quia priorum librorum autor Homousianorum fait mentionem*, quod nomen diu post Origenem ab Arianis fuit inventum; nec non S. Luciani velut jam Martyrii laureâ donati meminit*, cùm tamen Lucianus iste Origene sit posterior.

Dubia vel suppositicia.

* lib. 1.

* lib. 2.

Commentaria in Job pariter non videntur esse Origenis, quia autor eorum in explanatione c. 3. adfert expositionem S. Luciani Martyris, qui, ut dictum, posterior fuit Origene; nec non in explanatione c. 7. et 8. nominatim refellit Manichæos; certum-

autem est, Manichæos post Origenem fuisse exortos.

Homiliæ 10. in diversa loca Evangelii sub illius nomine vulgata etiam sunt suppositiæ, 1º quia in Homiliâ in c. 1. Joannis fit pariter mentio Manichæorum et Arianorum, quibus ipse fuit anterior. 2º. Quia in Homiliâ 9. inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymô in ult. c. Isaiæ; imò fragmenta alia ex S. Gregoriô lib. 15. Moral. c. 14. qui Origene sunt longè recentiores. 3º. Quia in Homiliâ de S. Magdalenâ Stylus est planè latinus, ac proindè non Origenis*.

5/25

Denique ex suprâ memoratis Tractatibus 35. in Matth. Tractatus 5.tus pariter latini auctoris esse videtur, eòquòd hujus auctor adducens illa Isaiæ verba c. 48. v. 16. Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus, expressè dicat: In Græcô Spiritus Sanctus neutrius est generis et non masculini, quemadmodùm apud nos /: Latinos :/ et tres casus similes habet, nominativum, accusativum, et vocativum, propterèa translatores in latinum sermonem, nominativum pro accusativô casu transtulerunt, et dixerunt: Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus ejus; cùm sit verius esse in Græcô, Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritum suum*. Undè patet, quòd, cùm hujusce quinti Tractatûs auctor se Latinum et non Græcum esse perhibeat, idem suspicari possimus de cæterorum in Matth. Tractatuum auctore, inquit Bellarminus.

* Verùm posset responderi, hos Patres hæc fragmenta ex ipsius Homiliis decerpsisse.

* Sed posset dici quòd Interpres, non auctor, hæc de se loquatur.

Præcipua Origenis errata.

Præcipua autem Origenis errata hæc perhibentur: 1º Quòd Filium in divinis Patre, et Spiritum Sanctum Filio minorem asserere videatur, Periarchon lib. 1. 2º. Quòd Dei Patris potestatem finitam esse docuerit, Periarchon lib. 2. 3º. Quòd tenuerit animas hominum præexistere sine numerô et nomine, seu

à principiô fuisse mentes, rationes, et virtutes Sanctas, sed divinâ contemplatione satiatas et in deterius conversas, in corpora supplicii causâ fuisse demissas, et animas appellatas, Periarchon lib. 1. 4º. Quòd animam Christi præexistisse pariter dixerit, unitamque fuisse Deo Verbo, ante Incarnationem et generationem ex B. Virgine. 5º. Quòd senserit primò conformatum fuisse corpus Christi Domini in utero B. Virginis, et ici postea unitum fuisse Deum Verbum et animam, quæ jam præexistebat. 6º. Quòd Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, et Aquas, quæ super cœlos sunt, animatas quasdam ac materiales virtutes esse dixerit, Periarchon lib. 1. 7º. Quòd hominum corpora in resurrectione generali rotunda et orbiculata suscitatum iri somniaverit.

8º. Quòd Christum in futuro sæculo pro Dæmonibus, quemadmodum prius pro hominibus passus fuisset, crucifixum iri. 9º. Denique, Quòd dixerit non æterna, sed ad tempus, esse Dæmonum et impiorum hominum supplicia, eorumque finem aliquando futurum, ipsosque dæmones, ac impios homines ad hoc sæculum redituros, et in pristinum statum suum et ordinem restituendos, ac reintegrandos, et inde ad beatitudinem evocandos fore.

Unde non mirum, quòd pluries et variis in Ecclesiæ Conciliis, ut à Demetriô Alexandriæ Episcopô, dum adhuc ipse Origenes viveret, à Theophilô Alexandrinô in Conciliô Alexandriæ habitô, de cujus damnatione gratulatus est ipsi S. Hieronymus, ep. 90. et 91. à S. Epiphaniô in Cypriorum Episcoporum conciliô, item hæresi 64. à Romanâ 70. Episcoporum

6/26

46. Synodô Sub Gelasiô habitâ, in decretô de Apocryphis Scripturis; et denique à Concilio V. Oecumenicô collat. 8. can. 2. ipse Origenes cum suis erroribus et nonnullis, in quibus eosdem aspersit, suis libris*, necnon sequacibus illius damnatus fuerit.

t

* iis scilicet, qui fuêre à S. Hieronymô reprobati, prout loquitur citata Romana Synodus sub Gelasiô Papâ celebrata

S. Cyprianus obiit circâ an. 258.

39. De S. Cyprianô an. 258.

S. Cyprianus vir fuit natione Afer, patriâ Carthaginensis, genere divitiisque potens, Senatoriô clarus ordine, tamque suavis eloquentiæ famâ celebris, ut publicè artem Rethoricam docuerit, fueritque juxtâ Lactantium ita ingeniô facili, facundô et suavi, ut discerni vix possit, an ornatior in loquendô, vel in explicandô facilior, aut in suadendô potentior quisquam fuerit. Ethnicus quidem primò, sed ex Ethnicô ad Christi fidem conversus Cæcilii Presbyteri curis, suasionibus, et monitis; undè Cæcilius et ipse posteà vocatus, Donati in baptismô Socius, ex Neophytô, per omnes gradus Presbyter, et è Presbyterô Carthaginensis ordinatus Episcopus, totiusque Africæ Primas, peracto cum omni sanctitate in suô Episcopatu decenniô, decimâ sæviente in Christianos persecutione sub Valerianô et Gallienô ejus filiô Imperatoribus, delatus à gentilibus, jussu Galerii Maximi Africæ Proconsulis gladiô percussus Carthaginensium omnium primus martyr occubuit, an. Chr. circiter 258.

opera ipsius indubitata.

~~Extant apud nos edit. Basil. 1540. et Colon. 1544.~~

Varia eâque præclara circumferuntur sub illius nomine opera, quorum quædam indubitata sunt, alia verò dubia vel supposititia ab eruditis reputantur.

Indubitata sunt 1º Epistolarum libri quatuor, seu epistolæ 85. variis temporibus ad varios scriptæ; quarum hîc præcipuas duntaxat

assignamus, è quibus aperta deprominuntur pro Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, quæ nostri ævi Sectarii impugnant, argumenta, quæ palam evinunt, eadem dogmata à SS. Ecclesiæ Patribus sæculi tertii, quos audiendos, ut et 4ti et 5ti Patres, esse volunt Protestantes*, propugnata fuisse, ac nunc Catholicis omnes tueantur. 1o igitur, pro firmandô Romani Pontificis primatu apertè pugnat Epistola ad Cornelium Papam de Fortunatô et Felicissimô, quæ est 55ta

2o Sanctorum invocationem stabilit ep. 57. ad eundem Cornelium. 3o De celebrandis Sanctorum festis doctrinam confirmat ep. 34. ad Clerum et plebem de Celerinô Lectore ordinatô, et 37. ad eumdem Clerum. 4o Morem Ecclesiæ pro defunctis orandi significat ep. 66. ad Clerum et plebem Furnitanam. 5o Catholicam de purgatoriô doctrinam declarat, ep. 52. ad Antonianum de Corneliô et Novatianô. 6o Pro confessione Sacramentali fuit ep. eadem ad eumdem.

7o Eucharistiæ sacrificium agnoscit ep. 63. ad Cæcilium de Sacramentô Dominici calicis. 8o Pro stabiliendô parvulorum Baptismô adest ep. 59. ad Fidum de infantibus baptizandis.

9o Pro antiquâ circâ lapsos disciplinâ firmandâ habetur ep. 10. 11. et 12. quarum prima est ad Clerum de Presbyteris, qui temerè pacem lapsis dederunt*; altera, quæ est ad Martyres; altera, quæ est ad Martyres et Confessores, qui lapsis pacem dari patiebant; et tertia, quæ est ad ple-

7/27

* Attamen nostri ævi Protestantes à vestigiis suorum antecessorum recedunt, et utriusque hujus 4ti et 5ti sæculorum Ecclesiæ Patres abominari videntur. vid. Bossuet. Hist. variat. Eccles. Protest. lib. 3. n. 59. pag. 134. edit. 6. ann. 1718.

* secundum sedatâ sibiet persentione et citrà conscientiam Episcoporum.

48 bem de rescripto Martyrum, et iis, qui pacem petebant.

2°. De Disciplinâ et habitu virginum liber*. 3°. De lapsis, id est, iis, qui tempore persecutionis idolis sacrificaverant mortis et tormentorum metu. 4°. De unitate Ecclesiæ liber, in quo Petri et Ecclesiæ Romanæ primatum et supremam auctoritatem stabilit. 5°. De Oratione Dominicâ liber, ex quo colligitur, fideles olim ad orationem stetisse, nempe in orationibus publicis, unde Stationes dictæ.

* In eo rogat virgines ut memores sibi esse velint, cùm, inquit, incipiet in vobis virginitas honorari. quod pro invocatione Sanctorum fuit.

6°. Liber ad Demetrianum Africæ Proconsulem, in quo ostendit calamitates quæ tunc Africam vexabant non Catholicis eorumque Religioni esse imputandas, sed Ethnicis, quòd Deum non colerent, et insuper Christianos injustis persecutionibus vexarent. 7°. De idolorum vanitate liber. 8°. De mortalitate liber.

9°. De opere et eleemosynis liber, in quo eleemosynæ merita prosequitur.

10°. De bonâ patientia liber. 11°. De Zelo et livore. 12°. De exhortatione Martyrii ad Fortunatum liber.

13°. Testimoniorum libri tres ad Quirinum, in quibus à Scripturis testimonia colligit tùm adversùs Judæos, tùm ad vitæ institutionem. 14°. Concilium Carthaginense de baptizandis hæreticis, in quo hæc opinio stabilitur, quæ posteà ab Ecclesiâ damnata fuit.

Dubia vel suppositicia.

Dubia vel suppositicia S. Cypriani opera triplicis sunt generis; alia enim sunt talia, ut stylus et Scripturæ citatæ

convincant esse ipsius; alia, quorum Stylus 49.
licèt relinquat dubium, tamen in illis multa
sunt, quæ vel Cypriani esse suadent, vel
auctoris Cypriano coævi; alia denique sunt,
quæ certis quibusdam argumentis deprehen-
duntur non Cypriani, sed aliorum aucto-
rum esse.

Primi generis sunt 1º. Liber de
Spectaculis vitandis. 2º. De Disciplinâ
et bonôpudicitiæ. 3º. De laude Mar-
tyrii ad Moysen et Maximum cæteros-
que Confessores, in quo eos rogat, ut sui
memores sint postquam martyrium subi-
erint; quod pro Sanctorum invocatione
facit. 4º. De Spe veniæ lapsis non
negandæ ad Novatianum hæreticum liber.

Secundi generis sunt 1º. De Cardi-
nalibus seu primariis Christi operibus ad Cor-
nelium liber. Sed Stylus illius humilior vi-
detur, quàm solet esse Cypriani Stylus; et
in eo docet auctor, diabolum cecidisse de
coelô ante creationem hominis; at Cypria-
nus contrarium docet in tractatu seu li-
brô de Zelô et livore. 2º. De aleato-
ribus liber, in quo vehementer invehitur
in aleæ ludum. 3º. De montibus Sina
et Sion adversùs Judæos liber. 4º. De
genesi carmen, in quo quatuor prima
geneseos capita eleganti et heroicô carmi-
ne redduntur. Opus istud Tertulliano
tribuit Sixtus Senensis. 5º. Carmen
de Sodomâ. 6º. Carmen ad Senato-
rem è Christianâ Religione ad idola con-
versum. 7º. Oratio pro Martyribus
quam dixit sub die passionis suæ.

8
28

Tertii generis sunt 1.º De singularitate Clericorum liber. Origenis esse librum hunc contendunt S. Antoninus, et Vincentius Bellovacensis in Summâ Hist. Sed Stylus latinum autorem sonat; non tamen Cypriani esse videtur Bellarmino ob nonnulla verba parum latina, quæ nusquam apud Cypriannm inveniuntur, ut sunt v.g. hæc, inordinaliter, contubernalitas.

2.º Expositio Symboli Apostolorum Ruffini Aquilejensis Presbyteri est, ut Stylus prodit, et testatur Gennadius in Catal.

3.º De Judaicâ incredulitate ad Vigilium liber. Est Latina versio dialogi græci inter Jasonem Christianum et Papiscum Judæum Vigilio Episcopo dicata. opus hoc antiquissimum est, quippe cujus meminit Origenes lib. 4. contra Celsum. Hujus versionis autor est Celsus, ut habetur ex his verbis in fine libri positis: In mentem jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.

4.º Adversus Judæos, qui insenuta sunt Christum liber, cujus autor non est Cyprianus, ut colligitur ex Stylô, antiquus tamen autor, ut qui Scripturas juxtâ Septuaginta citet. 5.º De revelatione capitis S. Joannis Baptistæ liber, qui tam ossium S. Joannis Baptistæ è Sebaste Alexandriam translationem, quàm capitis ejusdem revelationem et translationem in Galias sub Pipino Francorum Rege, qui primum sæculô octavô rebus gallicis præfuit, describit, unde Cypriani non est. 6.º De duplici martyriô ad Fortunatum liber, in quo tùm Diocletiani Imperatoris, tùm Beli Cæsarei contrà Turcas fit mentio; unde illius non est.

7º. De duodecim abusionibus sæculi liber, hoc est liber, in quo per duodecim capita explicat duodecim abusus et vitandos monet. Cypriani non est, quia passim Scripturas citat ex versione S. Hieronymi Cyprianô longè posterioris. 8º. De coenâ libellus; nec Cypriani est, nec Cyprianô dignus, cùm ineptas et ridiculas contineat fabellas; videtur auctor, quisquis sit, in compendium redigere voluisse historica gesta utriusque Testamenti sub schemate coenæ cujusdam, sed ita ineptè consilium suum exequitur, ut ridicula et fabulosa multa immiscuerit.

51. Prima Rrr. pag. 29.

De S. Dionysiô Alexandrinô.
ann. 259.

40. S. Dionysius Alexandrinus, martyr obiit an. 259. vel, ut aliis placet, ann. 265.

S. Dionysius Alexandriæ urbis, post Heraclam, Episcopus, qui sub Heraclâ prædecessore suô Scholam Catecheseon Alexandriæ Presbyter tenuit, fuitque Origenis discipulus et auditor insignis, et S. Cypriani coævus illustris, ejusque et Africanæ Synodi, circâ sententiam de rebaptizandis hæreticis, sectator celebris; sæviente persecutione decimâ sub Valerianô et Gallienô martyrium passus est an. Chr. 259. vel ut alii volunt an. 265.

Ejus Scripta.

Plures fertur scripsisse epistolas; Commentarium in Ecclesiasten; In primam ad Corinthios; In Apocalypsim; et plura alia apud Eusebium et Hieronymum notata. Sed inter hæc omnia, quæ scripsit, sunt præsertim epistolæ, quarum jª est ad Xystum Papam Stephani successorem de rebaptizandis hæreticis.

52. 2a. Ad Dionysium Romanum Xysti in Romanâ Sede Successorem, et de eodem argumentô. 3a. Ad Paulum Samosatenum, insignis epistola paulò ante mortem scripta, additis responsionibus ad decem ejus questiones. 4a. Ad Fabium, sive, ut legunt alii, ad Flavianum Antiochenæ urbis Episcopum; in quâ dicit, nemini prorsus, in extremis posito, denegandam esse sacrorum mysteriorum communionem. 5a. Ad Dionysium Romanum Pontificem Apologetica. Accusatus enim Dionysius iste Alexandrinus à Pentapolitanis apud Dionysium Pontificem Romanum, quòd scribens contrâ Sabellium, Filium Dei creaturam, et non ejusdem cum Patre essentiæ esse, dixisse videretur; epistolam scripsit Apologeticam ad ipsum Dionysium Romanum, in quâ se ab idâ purgabat erroris labe. En suprema in universam Ecclesiam Romani Pontificis in rebus fidei decernendis auctoritatis apertum monumentum.

41. S. Gregorius Thaumaturgus. obüt an. Chr. 265.

De S. Gregoriô Thaumaturgô. an. Ch. 265.

S. Gregorius Neocæsareæ in Pontô Episcopus, Ethnicis parentibus ortus, antèa Theodorus dictus; adhuc adolescens Græcarum Latinarúmque litterarum amore captus è Cappadociâ Berytum, et Berytô cum Athenodorô fratre Cæsaream Palestinæ transiit, ubi egregiæ indolis adolescentes ambo, sub Origenis disciplinâ, quinquennio conversati, et simul cum Philosophiâ Christi fidem paulatim edocti, in patriam ad matrem redierê. In patriam reversus, et paulò post

2
30

Episcopus, licèt reluctans et fugiens, à Phoedimo Amascensium Antistite creatus, tot et tantorum signorum, ac miraculorum ostensione claruit, ut ubique à Græis Θαυματουργος, id est, Mirabilium effector vocatus fuerit. Obiit meritis ac innumeris penè miraculis clarus, die 17. 9bris an. Chr. 265.

Sub ejus nomine nobis supersunt varia opera, nec tamen omnia indubitata. Gemina sunt 1º Expositio fidei de SS. Trinitate à S. Joanne Evangelistâ, mediante Dei genitrice Mariâ Virgine, per revelationem ipsi Gregorio Neocæsariensi tradita, et ab ipso scripto mandata et promulgata. Scripta seu opera ejus gemina et indubitata.

2º. Oratio panegyrica et Eucharistia, sive gratiarum actionis ad Origenem Magistrum suum. 3º. Metaphrasis sive translatio in Ecclesiasten, duodecim capitibus expressa. 4º. Sermones tres elegantes et doti in Annuntiationem B. Virginis Mariæ Deiparæ. 5º. Sermo de Sanctâ Theophaniâ, sive de apparitione Dei in Baptismô Christi. 6º. Epistola canonica à Græis dicta, undecim canonibus congruam decernens poenitentiam pro delictis in Gothorum Barbarorum in Asia provincias et Ponticam ipsam incursione patratis.

Dubia ipsius scripta sunt, 1º Expositio fidei ad Elianum, quam invenit et vulgavit Gerardus Vossius, et quam putavit esse illam, quam ad Elianum scripsit Gregorius Neocæsariensis, sed perperam, in hâc enim dicit, Patrem et Filium esse unum hypostasi, id est, prout intelligit ipse, substantiâ sive essentiâ, et solâ animi cogitatione distinqui, id est quoad substantiam sive essentiam. At Dubia.

54. expositio à Vossio vulgata Sabellium nominatim refellit, cùm tamen ob eam, quàm primùm citavimus, fidei expositionem, in quâ videlicet Gregorius iste asserebat Patrem et Filium hypostasi esse unum et solâ animi cogitatione distingui, suspicio orta fuisset, ab ipso fovere Sabellii haeresim. Neque expositio a Vossio sub nomine ejusdem Gregorii vulgata ubibi dicit Patrem et Filium esse hypostasi unum, p. Praeterea videtur scripta contrà Arianos, ut ex ejus initiò colligitur, ac proinde longè post Gregorium Nyssen. ante Arianam haeresim vitâ functum; sic autem incipit: Inimicissimi et alieni à confessione Apostolicâ sunt, qui dicunt esse Filium ex non extantibus, et ex principiò emittente, externum et foris adscitum Patri, p.

2º. Duodecim fidei capita, quibus ostenditur, quid sit de Incarnatione Dei Filii credendum. Haec capitula videntur esse appendix prioris ad Elianum fidei expositionis, unde nec dici possunt esse Gregorii Nyssen. praesertim, cùm ad Nestorii et Eutychetis errores refellendos videantur posita, constat autem hos haeresiarchas longè post Gregorii nostri obitum exortos fuisse.

3º. Disputatio de animâ ad Satiarum, non testimoniis ex S. Scripturâ desumptis, sed philosophicis argumentis procedens. Dubitant aliqui num illius sit, eò quòd philosophicum nimis, et non priorum saeculorum Ecclesia sapiat stylum. verùm hoc ratio non evincit opus istud illius non esse: de eâ tamen remanet dubium propter priscorum de illâ sub nomine Gregorii hujus silentium. Vide Basil. lib. de Spiritu S. c. 29. Greg. Nyss. in Orat. de vitâ Greg. Thaumat. Euseb. l. 7. Hist. c. 25. Hie-

3/31

ron. lib. de Script. Eccl. Gerardum Vossium in notis ad Greg. Thaumat. opera. Bellarm. de Script. Eccl.

De S. Dionysio Romano. an. 272.

42. S. Dionysius Romanus Martyr obiit an. Chr. 272.

S. Dionysius natione græcus et Eremicola, necnon ex Eremitâ Presbyter Ecclesiæ Romanæ, ac tandem post S. Xystum Summus Pontifex Romanus electus an. Chr. 260. vel 261. ut placet aliis, undè Romanus vulgò dictus, insignem, inter alia, scripsit epistolam contrà Sabellianos, sed cujus nihil superest præter fragmentum apud S. Athanasium. Sub eo celebratum est Antiochenum illud Concilium, in quò ob suam hæresim damnatus est Paulus Samosatenus. S. Dionysius tandem sæviente Aureliani Imperatoris persecutione Martyr occubuit annò Pontificatûs sui undecimò, Chr. 272. Vid. Athanas. contrà Arianos, Anastas. de Rom. Pont. Baron. in Annalibus.

Scripsit Epistolam unam contrà Sabellianos.

Sæculò Quartò.

43. Eusebius Cæsariensis. obiit an. Chr. circiter 340.

De Eusebiò Cæsariensi. an. 340.

Eusebius Cæsariensis Palæstinus natione, imperante Galieno natus an. Chr. circiter 264. Cæsariensis Ecclesiæ Presbyter ordinatus est ab Agapiò Cæsareæ in Palestinâ Præsule, et deindè post Agapium electus et ipse Cæsariensis Episcopus sub Constantinò Imperatore, an. Chr. circiter 313. Undè Cæsariensis vulgò nuncupatus, sicut et Eusebius Pamphili pariter cognominatus, ob initum stricte amicitiæ fœdus cum Pamphilò Cæsariensis Ecclesiæ Presbyterò, et postèa Diocletiani persecutione sævienta Christi Martyre sanctissimò.

Fuit Eusebius vir summi ingenii, et profundæ eruditionis, sed Ariana secta fautor ac defensor, imò, si Hieronymo* fides, Arianorum signifer ac princeps. Obiit paulò post Constantinum Imperatorem*, sub cujus Imperiò floruit, ann. Chr. circiter 340. Scripta relinquens varia volumina, qualia sunt

z * In libris contrà Rufinum.

a * obiit Constantinus Imperator 22. Majj an. Chr. 334.

Ejus Scripta. ~~extant apud nos latine Basil. edit. 1570. pp~~

4
32

1°. De præparatione Evangelicâ libri 15. quibus Infideles et Paganos ad Evangelicam Christi legem audiendam et sequendam disponit ac præparat. Ex iis nonnisi 14. supersunt. 2°. De Demonstratione Evangelicâ libri 20. quibus demonstrat Christianam legem solam ut veram ab omnibus tùm Judæis, tùm Paganis esse sequendam. Ex iis nonnisi 10. supersunt. 3°. De Historiâ Ecclesiasticâ libri 10. in quibus omnium primus historiam descripsit Ecclesiasticam, inipiens ab ipso Christi in mundum adventu, et desinens ad annum Constantini 20. Christi verò 325. Hæc historia omnium calculo eruditorum, est opus egregium et inter omnia Eusebii opera præstantissimum. 4°. De vitâ Constantini libri 4. 5°. Adversus hæresim Hierocli Ethnici, seu duos idius contrà Christi fidem libros Philalethes inscriptos.

6°. Adversus Marcellum Ancyranum Episcopum, cum Sabelliò interalia asserentem Verbum non esse personam subsistentem et à Patre distinctam, libri 5. 7°. Chronicon, in quo historia universalis omnium temporum

omnium que Nationum ab orbe conditô 57.
ad hæc usque tempora, describit compendium.

Plura Eusebii opuscula alia circumferuntur, ut libellus de locis Hebraicis in latinum translatus à S. Hieronymô. Decem Canones de consonantia quatuor Evangelistarum. Expositio in Cantica. Et opuscula 14. à P. Sirmundô sub Eusebii nomine latinè donata et vulgata an. 1643. Sed hæc et alia vel dubia sunt, vel non amplius extant, p. 44.

alia ejus opera vel dubia, vel deperdita.

De S. Athanasio. an. 371.

S. Athanasius obiit an. Chr. 371.

S. Athanasius Alexandriæ in Ægyptô pius et claris parentibus ortus, ab Alexandrô Alexandriæ Episcopô primùm ordinatus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, eóque gradu in Nicænô Conciliô Alexandri Episcopi sui comes individuus, et post ipsum tandem communi Cleri populique voce quartus à Petrô Martyre Alexandrinus Episcopus, Arianorum hostis intrepidus, fidei catholicæ defensor acerrimus, et Orientalis Ecclesiæ Doctor celeberrimus, famâ, re, et vulgari cognomine Magnus, qui post varia certamina pro fide contrà Arianos inita, post eorum fraudes, insidias, accusationes, calumnias, opprobria, persecutiones, post varia et magna exilia, exactis in Episcopatu 46. annis, meritis clarus et miraculis migravit ad Dominum Alexandriæ sub Valente Imperatore

58. Die 2. Maji annô Chr. 371. relictis variis insignibus Scriptis, quæ ferè omnia adversùs Arianos, vel ipsorum occasione edita fuêre.

Ejus Scripta extant apud nos græc-latin. edit Colon. 1686

Hæc autem sunt: 1º. Oratio contrâ Gentes, in quâ vanitatem idolorum ostendit. 2º. Oratio de Incarnatione Verbi, ejusque ad nos corporali adventu, adversùs Gentiles. 3º. Orationes quatuor contrâ Arianos. In quarum quartâ explicat illud Christi, Ego in Patre, et Pater in me est, quo abutebantur Ariani ad suam de Filiô Dei confirmandam hæresim. 4º. Oratio sive Tractatus in hæc Domini verba: Omnia mihi tradita sunt à Patre, contrâ Eusebium cæterósque ejus gregales Arianos eisdem impiè abutentes. 5º. Oratio de æternâ substantiâ Filii et Spiritûs Sancti cum Deo, contrâ Sabellianos. 6º. Oratio, quâ unum esse Christum ostendit contrâ eos, qui duas in Christô hypostases sive personas esse volebant, unam scilicet, quæ esset carnis, sive hominis assumpti, alteram, quæ esset Verbi assumentis, adeoque humanam unam, alteram divinam; quem errorem posteà Nestorius Constantinopolitanus Episcopus tuitus est. 7º. Ad Serapionem Thmueos Ægypti Episcopum epistola, contrâ eos, qui Filium Dei Christum Dominum creaturam esse dicunt. 8º. Ad Serapionem eumdem epistola altera, contrâ eos, qui Spiritum Sanctum creaturam esse dicunt. 9º. Ad Jovinianum* Imperatorem Juliani Apostatæ successorem de fide epistola, in quâ ei fidem Nicænam pa-

*Seu Jovianum

5/33

isè exponit. 10°. De Synodi Nicænæ decretis contrâ Eusebium epistola. 11°. De Sententiâ Dionysii Alexandrini Episcopi adversùs Arianos epistola. 12°. Ad Antiochenses epistola, hoc est, ad Antiochenæ provinciæ vel Antiochiæ congregatos Episcopos tam suo quàm pluribus aliorum ejus Coepiscoporum, qui en Italiâ, Arabiâ, Ægyptô et Lybiâ Alexandriæ cum illo tunc aderant, nomine scripta, in quâ eos monet, ut ab Ariana hæresi resilientes benignè ut patres et magistri recipiant ꝓ.

13°. Ad Epictetum Corinthiorum Episcopum epistola contrâ hæreticos, in quâ eum redarguit, quod in suis commentariis dixisset, corpus ex Mariâ genitum esse cum Verbi divinitate consubstantiale, quod ut impium et in Ecclesiâ inauditum fusè refodit. 14°. Ad Adelphium Omnipheos Episcopum et Confessorem epistola contrà Arianos. 15°. Ad Solitarios epistola, cujus pars posterior videtur esse fragmentum alterius operis cujusdam auctoris incerti, ut quæ cum priori nullatenus cohæreat. 16°. De Synodis Arimini et Seleuciæ epistola, in quâ earundem gesta enarrat. 17°. Ad Africanos Episcopos epistola pro Nicænô Conciliô contrà Arianos. 18°. Ad omnes ubique Orthodoxos epistola, in quâ describens ea, quæ per Arianos patiuntur Orthodoxi, hortatur eos ad commiserationem et Zelum pro Ecclesiasticis Canonibus et Ecclesiæ fide. 19°. Ad

60. Dracontium Episcopatum fugientem epistola, quâ idum hortatur, ne Episcopatum, ad quem electus erat, fugeret. 20°. Ad Constantium Imperatorem epistola, quâ se purgat à falsis arianorum accusationibus et calumniis. 21°. De fugâ suâ Apologia. 22°. Contrà Arianos apologia secunda. 23°. Vita S. Antonii

45. Denique 24°. Symbolum, quod incipit, Quicunque vult salvus esse &c.

Symbolum istud Sancti Athanasii non esse, variis conjecturis fulti contendunt eruditi non pauci. Sed tamen communis est aliorum sententia, idud verè esse S. Athanasii, 1.° Quia id suadet antiqua traditio Ecclesiæ, quæ illud, non sine veterum Patrum sanè testimoniô, in divinis officiis recitandum proponit. 2°. Quia illud velut genuinum S. Athanasii scriptum agnoscunt et sæpè citant SS. Patres: Gregorius Nazianzenus, in oratione de laudibus S. Athanasii. S. Augustinus, tract. in Psal. 120. lib. 5. de Trinit. c. 8. Serm. 195. et in Enchiridiô c. 36. et S. Thomas 1. q. 10. a. 2. in argum. Ibid. q. 29. a. 3. et iterum q. 36. a. 2. Denique ibid. q. 42. a. 1. 3.° Quia sub nomine S. Athanasii citatur à Synodô Augustodunensi sub Leodegariô Episcopô et Adeodatô Romanô Pontifice habitâ an. Chr. 670.

4.° Quia Symbolum istud Athanasio tribuunt Summi Pontifices, et præsertim Gregorius IX. per suos Legatos ad Græcos, pro Græcorum cum Latinis unione missos, annô Chr. 1233. et Eugenius IV. an. Chr. 1439.

6
54

in decretô de Armenorum unione; quibus Symbolum istud sub nomine S. Athanasii commendat, quod et idem longè priùs in suâ Ecclesiâ commendaverat Hincmarus Episcopus Rhemensis. circa an. 852.

Neque obest 1º. Quod Symbolum istud à S. Leone Magnô, Chalcedonensisque Concilio an. chr. 451. celebrati Patribus citatum haud fuerit ad refellendam Eutychianorum haeresim de unicâ in Christô naturâ. Enimverò potuit tunc temporis Symbolum istud Leoni et Chalcedonensibus Patribus esse ignotum, sicuti S. Augustino jam Episcopo Nicani Canones, quamvis à centum et pluribus annis editi et promulgati, nondum noti fuerunt, ut ipsemet testatur ep. 110. cô magis quod Symbolum istud privatim à S. Athanasiô scriptum fuisset. Praterea cum hoc negativô argumentô sequeretur Epistolam ipsius ad Epictetum supra num. 13. memoratam non illius esse, quia nec à Leone, nec à Concilio Chalcedonensi citata fuit, etsi in eâ non minus, quàm in Symbolô istô Eutychiana haeresis rejiciatur. genuinam tamen eam esse nemo eruditorum diffitetur.

Non obstat 2º. Quod in eo Symbolô refutentur haereses tempore S. Athanasii nondum exortae. Non enim illud scripsit Athanasius, ut jam hô tempore exortas haereses refelleret, sed ut fidem Catholicam ad praecavendas futuras exponeret, et manifestaret, undè non haeresum refutatio, sed fidei manifestatio vocatur Symbolum istud à S. Thomâ 2.2. q. 1. a. 10. ad 5. Et verò pariter ex Scriptis SS. Patrum varia refelluntur haereses, quae illorum tempore nondum erant orta. Sequeretur denique Orationem illius supra num. 6. à nobis commemoratam in quâ tùm Nestoriana tùm Eutychiana hae-

reses apertè et expressè damnantur, non esse S. Athanasii contrà mentem omnium eruditorum.

Non obest 3.º Quòd nullus Autor Athanasio coævus, aut coævis vicinus usquam hujus Symboli meminerit, Sanctusque Hieronymus in cat. Script. Eccl. ex professò recensens opera S. Athanasii, de hoc Symbolo altum silcat. Id inquam minimè obest Sententiæ nostræ: quib, licèt nullus pariter Apostolis coævus aut coævis vicinus meminerit Symboli Apostolorum, aut dixerit illud ab Apostolis editum fuisse, non sequitur, Symbolum illud verè Apostolorum non esse. S. Hieronymus loc. cit. non omnia recenset S. Athanasii opera, sed pleraque duntaxat, quibus recensitis sic concludit, Et multa alia, quæ enumerare longum est. Falsum præterèa est, nullum coævum, aut saltem coævis S. Athanasio vicinum hujus Symboli sub ipsius nomine fecisse mentionem, fecerunt enim suprà laudati SS. Gregorius Nazian. et Augustinus.

7/35

46.

S. Hilarius Pictaviensis. obiit an. Chr. 369.

De S. Hilariô Pictaviensi an. 369.

S. Hilarius, natione Gallus, nobilibus parentibus Pictavis in Aquitaniâ oriundus, et Pictavii patriæ suæ tandem Episcopus, Athanasii coævus, qui ætate licèt provectâ, ad Christum conversus, brevi magnus, et insignis Ecclesiæ Doctor erasit. Pro fide catholicâ è Synodô Biterrensi factione Saturnini Arelatensis Episcopi et Ariane sectæ viri, an. Chr. 356. in Phrygiam exul relegatus, tandémque ab exiliô, et è multitudine alio cum hæreticis prælio, in Galliam reversus, Pictavii feliciter obiit, idib. Jan. an. Chr. 369. relictis doctis et egregiis Scriptis.

Præcipua igitur ejus opera sunt hæc. 1º. Libri 12. de Trinitate contrà Arianos. eos an. Chr. 356. inchoasse dicitur. 2º. Liber de Synodis, seu de fide Orientalium, in quo Arianorum fidei formulas diversis temporibus Synodisque variis editas post Nicænam Synodum recenset, ut Antiochenæ Synodi formulam an. 341. illam quæ in Pseudo-Sardicensi an. 347. et illam quæ in Sirmiensi an. 357. edita fuerunt. 3º. Epistola ad Abram filiam, in quâ eam, ad ineundas cum cœlesti sponsô nuptias, hortatur. 4º. Ad Constantium libri duo. In primo eidem commendat fidei libertatem, et deprecatur, ne Catholicos tormentis cruciet: In secundô petit Regis audientiam, ut de fide coram Synodô et Saturninô exilii sui auctore disputet, fidem ex Scripturis ostensurum se promittens. 5º. Liber contrà Constantium. in quo persecutionem describit à Constantiô motam ab Arelatensi usque ad Ariminense Concilium. Gesta attingit Synodi Seleuciensis in Isauriâ an. 359. celebratæ, ejúsque fidem confutat. 6º. Liber contrà Auxentium, quo Catholicos monet de suis gestis Mediolani cum Auxentiô. Est epistola ad Catholicos contrà Arianos, nominatim contrà Auxentium.

63. Scripta ipsius.

De S. Ephremo. an. Chr. 378.

S. Ephremus vulgò Ephrem, nec græcus, nec Latinus, sed Syrus Ecclesiæ Pater et Scriptor venerandus, Nisibi, juxtâ Sozomenum lib. 3. hist. et Edessæ in Syriâ sub Constantinô Magnô Christianis parentibus ortus, si fides antiquo Græcorum Menologio; vir fuit Eremi cultor insignis, et Edessenæ Ecclesiæ Diaconus mirabilis, à Basiliô Magnô, prout

47. S. Ephremus seu Ephrem. obiit an. chr. circiter 378.

8/36

tartatur S. Amphilochius, sed sanctæ humilitatis zelo, ad sacra celebranda mysteria accedere nec semel ausus, dignus licet apud Deum et homines, si quis alius; cœlestem enim in terris degebat vitam et morum sanctitate purissimam, necnon eruditionis famâ clarissimam. obiit meritis plenus 1. feb. an. Chr. 378.

Ejus Scripta.

Scripsit in Syriâ et Syro sermone de variis argumentis varia opuscula, quæ è Syro in Græcum, et è Græco in Latinum variis editionibus fuêre vulgata; ut 1.o Tractatus in hæc Apostoli verba 1. Cor. 7. v. 9. Melius est nubere quàm uri, ubi expressè docet, hanc Apostoli sententiam ad solos sæculares et liberos, non autem ad Religiosos, et castitatis votô ligatos pertinere: contrà quàm tamen sentiant nostri ævi Acatholici.

Religiosis et voto castitatis astrictis non licet nubere.

2.o Tractatus de naturâ Dei, in quo realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistiâ asserit his verbis: Esto fidelis, atque innocens participa immaculatum Corpus et Sanguinem Domini tui fide plenissimâ certus, quòd agnum ipsum integrè comedes... et infrà, ignem et Spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis, Corpus scilicet et Sanguinem Suum, &c. 3.o Parenases sive exhortationes ad Monachos varia. 4.o Nonnulli sermones Ascetici.

Realis corporis Christi in Eucharistiæ Sacramentô præsentia.

5.o Encomia quædam in Sanctos, ut in Basilium Magnum, in Sanctos quadraginta Martyres, in SS. Martyres omnes.

6.o Varii alii sermones de variis virtutibus aut vitiis. 7.o ac ultimò Testamentum ejus mirabile, quo cunctis varia ac sancta vita morúmque documenta legavit, hoc est, mirabilis et ultima illius oratio, quam senio plenus, et futura sua mor-

tis prasinus edidit, et orbi Christiano pro Testamentô reliquit. In hoc Testamentô inter alia pro mortuis esse orandum, necnon ipsis pro-Ipse vivorum Suffragia agnovit his verbis: Ex nunc volo, fratres, commonefacere et rogare vos, ut post meum exitum et transitum assidue memoriam mei in vestris precibus faciatis &c. Et infrà, Comitamini me in Psalmis atque orationibus vestris, et assidue pro meâ parvitate sacrificia et oblationes facere dignemini; et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis; mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficiô afficiuntur &c. Praterea contrà Hereticos Christi divinitatem in eodem testamentô suô pluribus aperit.

Vivorum orationes, Suffragia, Sacrificia et oblationes pro mortuis facta ipsis prosunt.

Aperta Christi divinitas.

D. S. Basiliô Magnô. an. 378.

48. S. Basilius Magnus obiit an. Chr. 378. vel 379.

S. Basilius Magnus insignis Ecclesiæ Pater, natione Græcus, et regione Ponticus parentibus antiquâ nobilitate clarus, Basiliô scilicet patre, et Emmeliâ matre genitus annô circiter Chr. 328. frater SS. Gregorii Nysseni et Petri Sebastæ Praesulum, aliorumque duorum monastica vita professorum, quorum uni natu maximo Naucratii nomen erat, necnon S. Macrinæ Virginis et Monasterii Virginum præpositæ clarissimæ; fuit S. Gregorii Nazianzeni Atheniis et in Eremô Socius individuus, et amicus, necnon Græcorum Monachorum in Oriente parens Sanctissimus; non quidem ut Ordinis Institutor, sed ut moderator et Rector, tùm quia Cœnobitis jam in Oriente degentibus vitæ Monasticæ regulas præscripsit, tùm quia simul cum illis in Pontica regionis Eremô convivit per aliquot

Prima Sss. pag. 37

annos, per quinquennium nempe, ut volunt aliqui, hoc est ab annô 357. usque ad an. 362. quo post Eusebii decessum Cæsaræ Cappadocum ordinatus Episcopus fuit; non immeritò Magnus dictus, imò Maximi nomine dignus, quem viri laudarunt permulti, ut S. Ephrem, S. Amphilochius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, et alii quique. Ab Imperatoribus, ab Hæreticis, ab aliis, à seipsô multa perpessus, suóque in corpore continuis ferè morbis, dirisque doloribus afflictus, tandem post varios labores, et post libros editos pro Ecclesiâ tàm pro firmandâ fidei veritate contrà Eunomianos, Sabellianos, et Arianos, quàm pro componendâ Clericorum, Monachorum, Virginum, Laicorúmque vitâ, et morum disciplinâ, è terris in cœlum migravit 1. Jan. an. Chr. 378. vel 379.

Opera ejus.

Scripta ejus hæc sunt. 1º Homilia ii. in Hexameron, seu historia de opificiô sex dierum. Et Homilia 17. in nonnullos Psalmos. 2º Adversus Eunomium libri 5. in quibus impias refellens hujus hæretici blasphemias, Filium in divinis Patri æqualem esse et consubstantialem probat. 3º Contrà Sabellianos, Arianos, et Anomæos liber unus, sive Oratio una vel Homilia, quâ mirum in modum confutat horum hæreticorum blasphemias, et contrà eos Deum unum in naturâ et Trinum in personis ex Scripturâ probat. 4º Adversus eos, qui calumniantur nos, quòd tres Deos colamus oratio seu homilia, quâ illos increpat et calumniam refellit. 5º De Baptismô libri duo. 6º De Spiritu Sanctô, in quo fusè 30. capitibus disserit, et varias de Spiritu Sanctô quæstiones resolvit;

ubi et incidenter c. 27. mira de traditione profert dicens inter alia: Dogmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ Scriptò proditâ, quædam rursùs ex Apostolorum Traditione in mysteriô, id est, in occultô tradita recipimus, quarum utraque parem vim habet ad pietatem &c.

Traditiones Sacræ assertæ.

7º. Ascetica opera: ad quæ reducuntur regulæ fusiùs disputatæ, et regulæ breviores seu compendiosè disputatæ: seu interrogationes, sive quæstiones de variis argumentis ad vitæ Monasticæ perfectionem spectantibus per Monachos Orientales Basilio propositæ et ipsius responsionibus solutæ in duobus libris, quorum primus 55. alter 315. continet, comprehensæ. 8º. Ethica seu moralia ejusdem opera, ad quæ pertinet liber Moralium 8. regulas complectens ex Novô Testamentô contextas, in quibus morum doctrina exponitur. Iis velut Prooemium præmisit Librum de judiciô. Ad ista etiam, præter plura alia moralia opuscula, reducitur admonitio ad filium Spiritualem, &c. 9º. Ad Amphilochium Epistolæ Canonicæ tres in 85. capitula sive Canones, unde Canonicæ dictæ, digestæ de variis articulis Ecclesiæ disciplinam spectantibus. 10º. Epistolæ ad varios multæ, videlicet 212. 11º. Liturgia, seu Sacra incruenti Christi Sacrificii celebrandi formula, quæ licèt inter S. Basilii alia opera non inveniatur, memoratur tamen à S. Proclô Episcopô Constantinopolitanô in Tractatu de traditione divinæ Liturgiæ; qui est Tom. 6. Bibl. PP. editionis Lugdunensis, an. Chr. 1677.

2
38

68. Opus Dubium vel Supposititium.

Præter hæc memorata opera, sub ejus nomine circumfertur Liber de verâ virginitate ad Letojum Mitilensem Episcopum, in quo non tam Virginitas laudatur, quàm, quid sit vera Virginitas ostenditur. Supposititium à nonnullis creditur, tùm quia multa continet, quæ S. Basilii modestiæ ac pudori non satis conveniunt; tùm quia inscribitur Basilii Episcopi ad Letojum Mitilensem Episcopum: at, ut ajunt, decesserat Letojus, antequam Basilius inauguratus esset Episcopus, et Ottejus Letoji Successor Mitilensem Ecclesiam regebat, dum Cæsareensem, ut Episcopus regebat Basilius. Sed fortè ad hunc Ottejum scriptus fuit hic liber.

49. S. Optatus Milevitanus. obiit an. circiter Chr. 380.

De S. Optatô. an. Chr. 380.

S. Optatus natione Afer è Milevi, unde Milevitanus, in Numidiâ Africæ regione Præsul, quem S. Augustinus laudat ut insignem Ecclesiæ Præsulem et orthodoxæ fidei defensorem egregium. creditur obiisset an. Chr. circiter 380. Ejus natalem diem ponit 4°. Junii Martyrologium Romanum.

Ejus Scripta extant apud nos Bib. PP. tom. 4. pag. 325.

Scripsit libros septem de Schismate Donastistarum contrà Parmenianum Donatistarum Carthagine Episcopum.

Plures epistolas aliáque multa Optatum scripsisse contendit Trithemius, lib. de Script. Eccles.

S. Pacianus. obiit an. Chr. circiter 380.

De S. Pacianô. an. Chr. 380.

S. Pacianus juxtà Pyrenæi montis juga in Hispaniâ Barcinonensis Episcopus, eloquentiâ et vitæ sanctitate ac eruditione clarus, vir anteà nobilis laicus in Hispaniâ potens et magnus, patérque

Flavii Lucii Dexteri prætorii quondam præfecti, cui suum de Script. Eccl. librum olim dicavit Hieronymus, meritis et senio clarus obiit sub Theodosio Seniore, an. circiter 380. et de quo Martyrol. Rom. 9. Martii. 69.

Scripsit Opuscula varia, è quibus supersunt nobis* 1.o Tres ad Simpronianum Novatianum epistola contrà Novatianos. 2.o Paranesis, sive exhortatio ad pœnitentiam. 3.o De Baptismo epistola, sive sermo ad fideles et catheumenos.

Scripta ejus

* In Bibl. PP. tom. 4. edit. Lugd. an. 1677. apud nos pag. 49.

3/39

De S. Cyrillo Jerosolymitano.
an. Chr. 386.

50. S. Cyrillus Jerosolymitanus. obiit an. Chr. 386.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Patriarcha clarus et egregius Apostolicæ doctrinæ propugnator, eximiæ sanctitatis, et ad populum docendum facilis et insignis vir, qui è celebri Jerosolymitano Catecheseon Magistro, ab Acacio Cæsariensi, cæterisque Comprovincialibus Episcopis, post obitum Maximi Jerosolymorum Antistitis, ad Patriarchalem Jerosolyma Sedem ritè promotus est, sub Constantio Imperatore an. circiter 350. in quâ Sede varia contrà Arianos pro fide Catholicâ certamina subiit; in quâ etiam ejusdem Acacii factione sæpè turbatus, et è quâ tandem ejectus, et procul ab urbe pulsus; sed eidem postea restitutus, et honorificè sub Damaso I. Romano Pontifice et Imperatore Theodosio Seniore in Generali Concilio Constantinopoli an. 381. celebrato habitus, in eo deinceps quietè et pacificè vixit usque ad annum Christi

70. 386. quo tandem annô die 18. Martii, hoc est quintô post Concilium Oecumenicum II. annô, migravit in coelum.

Ejus Scripta.

Scripta ejus, quæ ex pluribus adhuc hodie supersunt, hæ sunt: 1º Catecheses 18. ad illuminatos extemporaneæ ab ipso adhuc adolescente prolatæ, undè non mirum, si quædam in iis minùs accuratè exarata à nonnullis eruditis deprehendi videantur. In iis traduntur documenta ad erudiendos et informandos accedentes ad Baptismum vel eo jam recèns regeneratos.

2º. Mystagogica seu Sacra Catecheses 5. ad recenter Baptizatos. 3º Epistola ad Constantium Imp. de Comis Jerosolymis in diebus Pentecostes circâ horam tertiam supra montem Golgotham usque ad montem Olivarum universâ civitatis multitudine spectante apparitione.

51. S. Gregorius Theologus seu Nazianzenus. obiit an. Chr. 389. vel 390.

D. S. Gregorio Nazianzenô. an. 390.

S. Gregorius ob eminentem Theologiæ peritiam cognomentô Theologus, et Nazianzenus vulgò dictus, quia Nazianzi in Cappadociâ vel Arianzi propè Nazianzum è Gregoriô Patre et Nonnâ matre genitus, Libanii Sophistæ Athenis discipulus, S. Basilii Magni Studiorum et virtutum socius, S. Hieronymi præceptor, à Patre suô Gregoriô Episcopô Nazianzenô Presbyter ordinatus, Sasimorum Episcopus posteâ à S. Basiliô Magnô Cæsariensi Archiepiscopô designatus, sed eâ Ecclesiâ relictâ, nomine Patris sui senio confecti Nazianzenam rexit Ecclesiam, Patre defunctô Constantinopolim profectus, ibi cum Arianis diu multumque pugnans, hujus Sedis Episcopus eligitur à 150. Basiliens ibidem con-

trà Macedonium congregatis an. 381. Quo Episcopatu Statim abdicatô in patriam suam Arianzum vicinum Nazianzi pagum rediit, ubi tandem post 8. vel 9. circiter annos obiit, die 9. Maji. an. Chr. 389. vel 390. 71.

4
40

Scripta ejus sunt hæc: 1º. Libri Apologetici, seu Orationes Apologeticæ quatuor. quibus se luculenter et eruditè purgat à variis, quæ in eum objiciebantur, vel objici poterant, de ejus à Patre in Pontum recessu, et ejus ad eumdem posteà reditu. 2º. Orationes funebres seu laudatoriæ octo. 1ª in laudem Cæsarii fratris sui. 2ª. In laudem Gorgoniæ Sororis suæ. 3ª. In laudem Gregorii Patris. 4ª. In laudem S. Cypriani martyris. 5ª. In laudem Basilii Magni. 6ª. In laudem S. Athanasii. 7ª. In laudem Machabæorum. 8ª. In laudem Heronis professione philosophi quondam Cynici, sed post conversionem in exilium pulsi, et post triennium reversi. 3º. Orationes de Theologia 5. in Eunomianos præsertim, de Christi divinitate cum Arianis malè sentientes editæ. 4º. Orationes de pace tres variis temporibus et occasionibus habitæ.

Scripta ejus. Extant apud nos græco-latin. edit. Colon. et Lipsiens. an. 1690.

5º. Oratio in plagam grandinis qua Tyberinæ Regionis jam maturæ fruges percussæ fuerant. 6º. Oratio in mulieres ambitiosè se ornantes. 7º. Oratio de moderatione in disputatione servandâ, et quòd non sit cujusvis, et cujusque temporis de Deô disputare. 8º. Oratio in Sancta lumina, seu in festum Sanctorum luminum, festum scilicet Baptismi Christi, quod octavô idus Januarii tam apud Græcos quàm Latinos celebratur. Bap-

tissimus autem idèo luminum nomine appellatur, quia purgat et illustrat, et quia insuper est Dei beneficium omnium praestantissimum. 9.º Oratio contrà Arianos et de se ipso. 10.º Oratio ad 150. Concilii Constantinopolitani Patres habita pro suo à Sede Constp.nâ obtinendô recessu.

11.º Orationes in varios festos dies 7. item duae in Julianum Imperatorem, et aliae de diversis materiis cum Tractatu de fide Synodi Nicenâ, imò et metaphrasi seu translatione in librum Ecclesiaste.

12.º Variae ad varios epistolae numerô 80. inter quas duae reperiuntur ad Cledonium Presbyterum adversùs Apollinarium, in quibus ea refelluntur argumenta, quibus Apollinarius probare contendebat, Christum humanam non assumpsisse mentem.

Varia insuper Poetica edidit Opuscula, totque in extremâ senectute carmina scripsit, ut dicat Hieronymus, eum ad 30. usque millia cecinisse versuum, quorum nec quidem media pars ad nos usque pervenit; ex his supersunt, 1.º Tragoedia, quae inscribitur Christus patiens. Sed eam Gregorio nostro abjudicare videtur Bellarminus. 2.º De rebus suis carmina, seu ad Christum poema, quo nos occultè ad piam Christoque dignam hortatur vitam. 3.º De virginitate carmen, quo eam summopere extollit.

4.º Ad Virgines poema alterum de eodem argumentô. 5.º Varia Opuscula alia carmine descripta, qualia sunt, Miracula Christi, Parabola Christi, Genealogia Christi, Moysis Decalogus, de Iuode-

5
41

cim Patriarchis, et nonnulla alia pia p. 73.

[De S. Gregorio Nysseno. an. 393.

S. Gregorius Basilii Magni Cæsariensis Archiepiscopi, Sanctique Petri Sebastæ Præsulis, necnon S. Macrinæ virginis et plurium Virginum Abbatissæ, frater Sanctissimus fuit, Nyssenæ urbis in Cappadociâ Episcopus, ut vulgò Nyssenus dictus, Doctrinâ insignis, et eloquentiâ celebris; cùm Orthodoxam fidem, et ovile Christi contrà grassantes Arianæ Sectæ lupos Stremiè defenderet, ab Arianô Imperatore Valente in exilium missus, ab ejus Successore Gratianô post Septem annos ab exiliô revocatus, Antiocheno Orthodoxorum Concilio in causâ Antiocheni trium Episcoporum Schismatis an. circiter Chr. 377. celebrato q̃ posteà etiam claruit in Synodô Cp.nâ Oecumenicâ II. an. chr. 381. habitâ, atque jussu et nomine ejusdem Synodi fidei Symbolum condidit, quod Cp.num vulgò dicitur. Tandem post varios pro Ecclesiâ Dei exantlatos labores obiit feliciter gn.â Martii an. chr. circiter 393. vel, ut aliis placet, 396.

Varia et egregia miræ doctrinæ et eloquentiæ Scripta post se reliquit, ut sunt, 1.º In Hexameron seu opificium sex dierum Explicatio, seu Supplementum Hexameron Basilii Magni fratris ad Petrum fratrem. 2.º De opificiô hominis liber ad supplenda, quæ desunt in librô S. Basilii de opificiô mundi.

3.º Liber de vitâ Moysis, quem Petro fratri suo proponit in exemplum. 4.º

73.
52.
S. Gregorius Nyssenus obiit an. chr. circiter 393.

q̃ interfuit;

Ejus Scripta.

Commentaria duo, unus in Ecclesiasten, et alter in Cantica Canticorum. 5.º De nomine Christiani ad Harmonium epistola. 6.º De perfecti Christiani hominis ad Olympium Monachum alia. 7.º De oratione Dominicâ liber quinque orationibus eam explicans. 8.º De octo beatitudinibus liber, explicans Sermonem Domini in monte Matth. 5. v. 3. p. 9.º Oratio de Subjectione Filii Dei, quâ explicatur illud Pauli 1. Cor. c. 15. v. 28. dicentis: Tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, p. 10.º De mortuis sive de dormientibus oratio, in quâ docet, non esse dolendum et lugendum de obitu eorum, qui in fide dormierunt, p.

11.º De infantibus prematurè raptis ad Hierium oratio, inquirens, quid de iis judicandum sit. 12.º De animâ et resurrectione cum sorore suâ Marinâ disputatio. 13.º De verâ et incorruptâ virginitate 24. capitibus distinctus liber. 14.º De S. Baptismate orationes duo, quibus susceptî Baptismi bona, et dilati pericula proponit. 15.º Circâ Mysterium SS: Trinitatis tractatus sive libri quinque, quibus varia catholica dogmata de tribus divinis personis explicantur. 16.º Sermones sive Orationes varii de diebus festis. 17.º Contra usurarios oratio vehemens. 18.º Oratio de fornicatione vitandâ et fugiendâ juxtâ illud Pauli 1. Cor. 6. v. 18. fugite fornicationem, p. 19.º Orationes funebres sive laudatoria septem elegantes,

erudita et pia, 1a. de S. Basilio Magno fratre suo. 2a. De Quadraginta Martyribus. 75. 6/42

3a. de Buleberia Imperatoris Arcadii filia et Theodosii Sorore. 4a. De Placilla altera Imperatoris Arcadii filia. 5a. De vita S. Gregorii Neocaesariensis vulgo miraculorum opificis, sive Thaumaturgi. 6a. De Sancto ac magno Martyre Theodoro. 7a. Oratio in funere Magni Meletii Antiochensis Episcopi.

Sunt et alia nonnulla Gregori Nysseni opuscula, quae videri possunt in supra citata editione Frontonis Duci. De octo Philosophia libris nihil hic dicimus, quia in profata editione de iis nulla fit mentio, nec S. Gregorii calamum sapiunt, cum in secundo dicatur, animam non creari in corpore, sed ante corpus creatam esse, qui fuit error Origenis. Supposititia.

D. S. Amphilochio. an. 394. 53. S. Amphilochius obiisse creditur an. circiter Christi 394.

S. Amphilochius Iconiensis in Lycaoniâ Episcopus, vir natione Cappadox, in juventute forensem professus Rhetoricam, sed relicto foro, in eremum progressus, et ibi Gregorii Nazianzeni et Basilii Magni socius et amicus, haereticorumque omnium hostis suâ aetate celebris et fidei Catholicae defensor insignis, et è Concilio Oecumenico II. Patribus unus p. obiisse creditur an. Chr. circiter 394. Cujus memoria colitur 23. 9bris apud Latinos aeque ac Graecos.

Scripta ejus sunt hac, 1o. de Spiritu Sancto liber unus contra Macedonium. Scripta ejus ~~[illegible]~~ ~~in Bibliotheca~~.

2o. Carmen ad Seleucum. 3o. Nar-

76.
Tom. 13. pag. 169. et Tom. 15. pag. 624.

ratio de Muliere, quæ peccata sua in chartâ conscripserat. 4°. varia Homilia à Theodoretô non semel citata.

Sub nomine ipsius reperitur in vitis Patrum et alibi Vita S. Basilii Magni; sed opus Amphilochiô indignum, ut quod multa falsa contineat, atque inter alia, quòd Julianus Apostata Basilii Magni Episcopi precibus fuerit peremptus, cùm tamen Basilius nondum Episcopus esset, quando sagittâ confixus est Julianus Apostata, unde falsò Amphilochio inscriptum est opus istud.

54.

S. Phœbadius obiisse creditur an. circiter 394.

De S. Phœbadiô. an. 394.

S. Phœbadius natione Gallus et primus post Caprasium Aginensis in Vasconiâ ad Garumnam Episcopus; inter orthodoxos Ariminensis Concilii Patres cum Servatiô Tungrensi contrâ Arianos fortiter et strenuè pro fide Catholicâ pugnavit; sed tamen oblatæ ab Arianis fidei formulæ apparenter Catholicæ, sed latenter hæreticæ perperam et incautè subscripsit unà cum aliis; quod factum posteà revocatione delevit, atque pro fide Catholicâ deinceps strenuè pugnavit et scripsit.

Scripta ejus.

Scripsit unum de Trinitate librum ad refellendam formulam ab Arianis in Sirmiensi Conciliô editam.

Vivebat adhuc Phœbadius, seu, ut eum vocat S. Ambrosius in epistolâ ad eum, et ad Delphinum Burdegalensem scriptâ, Poegatius, annô Chr. 392. quo

7/43

S. Hieronymus suum de Script. Eccl. catalogum scribebat, et obiisse creditur an. circiter 394. cujus festum Agini celebratur 25. Aprilis. 77.

De S. Ambrosiô. an. 397. 55. S. Ambrosius. obiit an. Chr. 397.

S. Ambrosius ex Ambrosiô Patre cive Romanô, Gallarum Præfectô, in Galliis genitus, Romæ liberalibus disciplinis imbutus, Luguriæ et Æmiliæ posteà Præfectus, et tandem post Auxentium Arianæ Sectæ virum, Mediolanensis Episcopus, vir fuit Sanctitate, eruditione, et eloquentiâ magnus, fideique et Ecclesiasticæ disciplinæ contrâ Arianos, Imperatores et Imperatrices propugnator fidelis et intrepidus ꝑ. tandem meritis clarus obiit anno circiter Chr. 397.

Scripta ejus genuina sunt, 1º Hexameron, lib. 6. 2º. De Paradisô, liber unus. 3º. De Caïn et Abel, liber. 4º. De Noe et Arcâ, liber. 5º De Abraham Patriarchâ, liber. 6º De Isaac et animâ, liber. 7º De bonô mortis liber. 8º. De fugâ Sæculi, liber. 9º. De Jacob et vitâ beatâ libri duo. 10º De Joseph Patriarchâ, liber. 11º De Benedictionibus Patriarcharum, liber. 12º. De Eliâ et jejuniô, liber unus. 13º. De Naboth Israëlitâ liber. 14º De Tobiâ, liber. 15º. De interpellatione et querelâ Job et David, libri quatuor. 16º Apologia Prophetæ David. 17º Altera ejusdem Apologia, quam non esse Ambrosii tenent multi, tùm ob Styli diversitatem, tùm quia Davidis Adulterium

Scripta ejus ~~[illegible]~~.

Supposititia habetur à multis eruditis.

verum adulterium fuisse negat, et allegoricè sumendum esse docet Auctor illius; cùm tamen Ambrosius in priori suâ Davidis Apologiâ, verum adulterium fuisse teneat, et ejus poenitentiam laudet. 18.º Enarrationes in Psalmos duodecim. 19.º Expositio in Psal. 118. 20.º Expositio in Evangelium S. Lucæ, decem libris comprehensa.

21.º De officiis Ministrorum libri tres, in quibus quot periodi tot sententiæ. 22.º De Virginibus ad Marcellinam sororem suam libri tres, in quibus virginitatis dignitas expenditur. 23.º De viduis liber unus, in quo viduitatis Christianæ excellentiam prædicat.

24.º De Virginitate liber unus, qui licèt de eodem sit argumentô, diversus tamen est à librô de Virginibus. 25.º De institutione virginis ad Eusebium liber unus.

26.º Exhortatio virginitatis librô unicô comprehensa. 27.º De lapsu virginis consecratæ, liber unus. 28.º De Mysteriis Sacramentorum, liber unus. 29.º De Sacramentis, libri 6. 30.º De poenitentiâ contrâ Novatianos, libri duo.

31.º De fide ad Gratianum Imperatorem libri 5. contrâ Arianos. 32.º De Spiritu Sanctô ejúsque divinitate ad eumdem Gratianum, libri tres. 33.º De Incarnationis Dominicæ Sacramentô liber unus, contrâ hæreticos præsertim Arianos.

34.º Fragmentum ex Theodoretô desumptum, in quo reperitur quædam fidei expositio, habens affinitatem cum libris de fide, et potissimùm de Incarnationis Dominicæ Sacramentô. 35.º Epistolæ variæ

8/44

numero 91. in duas classes distributa; prior 79.
continet epistolas 63. secundùm rationem tem-
porum distributas; posterior reliquas.

36.° De excessu seu obitu Satyri fratris
sui libri duo seu orationes funebres duæ.

37.° De obitu Valentiniani Imperatoris, qui ætatis suæ anno 20. obierat, consolatio seu consolatoria et funebris oratio.

38.° De obitu Theodosii Magni Imperatoris oratio funebris. 39.° Hymni aliquot Ambrosiani, inter quos sunt v. g. Æterne rerum Conditor p. Deus Creator omnium p. Æterna Christi munera p. et alii.

Cætera opera, quæ sub S. Ambrosii nomine vulgata sunt, consentur ab eruditis suppositititia. Cætera sunt suppositititia.

De S. Epiphaniô. an. 403. 56. S. Epiphanius obiit an. chr. 403.

S. Epiphanius in Phœnicia oppido, non procul ab Eleutheropoli, ex infimis et obscuris natalibus ortus, in tenerâ adhuc ætate relictus à patre cum matre viduâ et sorore virgine, necessariis ad vitam fortunæ bonis destitutus, adoptatus tamen à viro quodam professione Judæô Trypho-ne dictô, ejusque post mortem opulentam assumtus hæreditatem, quâ cùm jucundè unà cum sorore potiretur, defunctâ matre divinæ providentiæ dispositione factum, ut ad propria revertens inciderit in Luciánum quemdam Religione Christianum, professione vitæ Monasticæ, insignem doctrinâ ac pietate virum, cujus hortationibus et monitis ad Christum conversus, baptizatus, pauperibusque fortunæ suæ bonis relictis, vitam monasticam amplexus est,

80. atque à Luciano in disciplinam Hilarioni in Ægyptô commendatus, Hilarionis tandem jussu, vitæ, sanctitatis, et miraculorum famâ jam celebris, Salaminam* petit in Cypro urbem, cujus urbis tùm Præsule destituta inopinatò Episcopus licèt reluctans, eligitur, et ordinatur, vir eruditione, sanctitate, et ob quinque linguarum, Græcæ videlicet, Hebraicæ, Latinæ, Syriacæ, et Ægyptiæ peritiam à S. Hieronymô commendatus; ac Hæreticorum hostis acerrimus; qui post peractum sub Valente, Gratianô, Theodosiô et Arcadiô Imperatoribus vitæ suæ cursum, tandem plenus meritis et annis obiit in navi, dum ab Imperatoris aulâ rediens ad suam Ecclesiam remearet, annô ætatis suæ 115. peractô, Christi verò 403.

* eam porrèa Constantiam dictam fuisse, ait Hieronymus.

Præcipua ejus Scripta hæc sunt, 1º. Panarium, idest, Capsula vel Arcula medica salubria continens mediamina contrâ 80. hæresum venena seu hæreses.

Scripta ejus extant in nostrâ Bibliothecâ, edit. Colon. an. 1617.

2º. Anchoratus, sive epistola de verâ fide Christi; nuncupatur Anchoratus, quia cùm de verâ Christi fide doceat et instruat, fluctuantes et in fide vacillantes instar anchoræ firmat ac retinet, ne circumferantur omni vento doctrinæ, et pereant circâ fidem naufragantes.

Prima Ttt. pag 45

3º. Anacephalæosis, sive totius Panarii summa. 4º. De mensuris et ponderibus, quæ in S. Scripturâ reperiuntur, item de asterisô et obelo, notisque et characteribus in divina Scriptura Interpretibus per Origenem usurpatis libellus.

5º. Historia de Prophetarum vita et interitu à Nathan, usque ad Joan-

nem Baptistam. 6.º Epistola ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum, quâ se purgat apud ipsum de ordinatô Presbyterô in monasteriô extrâ suam Diœcesim, et intrâ Joannis Diœcesim sitô; item de disciplô velô pro foribus Ecclesiæ Anablathensis Diœcesis Jerosolymitanæ appensô, in quo quasi Christi, vel Sancti alicujus depicta pendebat imago;* hoc utrumque factum concedit, sed tunc legitimè factum ostendit p. 7.º Libellus in Marcionem scriptus, et pavimenti titulô prænotatus, in quo redarguitur Marcion et Scripturarum, quibus utebatur, loca notantur per ipsum adulterata. Liber iste ab ipso Epiphaniô Panario insertus est Hæresi 42. quo est Marcionitarum.

* De hoc facto vid. quæ infra tom. 2. Theol. nostræ ad tract. 3. de Incarnat. Appendice de cultu et invocat. SS. P. §. 2. tit. de cultu SS. Imag. in resp. ad ob. 1. pag. 457. Dita sunt.

Sæculô quintô.

De S. Joanne Chrysostomo. 407.

57. Sæculô quintô. S. Joannes Chrysostomus. obiit an. Chr. 407.

S. Joannes ob aureum eloquentiæ suæ flumen vulgari cognomine Chrysostomus dictus, nobilibus et Christianis parentibus, patre videlicet Secundo, et matre Anthusâ Antiochiæ natus an. 354. Libanii Sophistæ in Rhetoricâ, et Andragathii celeberrimi in Philosophiâ discipulus fuit; forensis dein Oratoris aliquamdiu munere fungens, à forô ad eremum transiit, et ab eremô ad clerum vocatus, ordinatur à Meletiô Diaconus, et post quinque annos à Flavianô Meletii successore consecratur Presbyter Antiochenus an. 387. ubi cum per 12. annos vitæ sanctitate, et variarum tùm Homiliarum, tùm Sermonum prædicatione claruisset, eóque tempore

82. è vivis excessisset Nectarius Archipræsul CPtanus, ab Arcadiô Imperatore Antiochiâ accersitus Chrysostomus, ad Sedem CPnam evehitur atque inauguratur Episcopus an. circiter 398. cumque perditos Clericorum, divitum ac nobilium, etiamnum Eudoxiæ Imperatricis mores redarguere non cessaret in exilium pellitur Concusum Armeniæ minoris oppidulum primò; inde revocatus, quòd ludos ad Imperatricis ejusdem Statuam in forô Sophiæ divinorum officiorum horis fieri solitos prohiberet, iterum relegatus, Comanæ juxta Pontum Euxinum post 9. sui Pontificatus annum Sanctam emisit animam 14. Septembris, an. Chr. 407. ætatis verò circiter 52. vel 53.

2/46

Scripta ejus genuina, et Dubia.

Perplura sub ejus nomine extant Scripta seu Opera, quorum aliqua Dubia sunt. Genuina autem sunt hæc 1º. Homiliæ ferè omnes. 2º. De Sacerdotiô libri sex. 3º. De compunctione cordis libri duo. 4º. De providentiâ Dei libri 3. ad Stargyrium Monachum. 5º. De orandô Deum libri duo. 6º. De comparatione Regis et Monachi liber unus. 7º. Contrâ vituperatores vitæ monasticæ libri 3. 8º. Contrà Gentiles, seu in Babylam Antiochenum Episcopum et Martyrem liber unus. 9º. Sermones de variis argumentis varii. 10º. Epistolæ variæ, ut ad Innocentium Rom. Pontif. duæ. Ad Cyriacum Episcopum exulem una. Ad Episcopos et Presbyteros in carcere ob pieta-

tem inclusos una. Ad Theodorum lapsum una. Ad Eutropium Eunuchum præpositum Imperatoris et Consulem, virum crudelem et sævum, qui Imperatoris indignationem fugiens in Ecclesiâ, quod priùs inhiberi ab Imperatore curaverat, asylum quæsierat, Epistolaris Homilia una. Ad Olympiam illustrem virginem et simul viduam una. iij.º Liturgia denique, seu Sacra incruenti Christi sacrificii celebrandi formula, sive Missa.

Dubia et supposititia ejus scripta hæc sunt, i.º Sex ex Homiliis in Genesim, nempe Hom. i. in c. 2. Genes. Hom. 2. in idem caput. Hom. 3. in idem. Tres Hom. in c. 3. Genes. Hæ enim non videntur sapere stylum et phrasim ejus, et in iis, præsertim in 2.da in c. 2. Genes. referuntur duo integra capita ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cujus autor est Gennadius Massiliensis Chrysostomo recentior. 2.º Homilia 14. in Marcum. Hæ censentur esse pii et ignoti cujusdam Monachi ad fratres suos in Cœnobio suo sacrum Evangelium explicantis, prout colligitur præsertim ex tertiâ. 3.º Celebre opus in Matthæum, opus imperfectum vulgò dictum*. Censetur ab eruditis non esse Chrysostomi, sed autoris cujusdam hæretici, vel ab ab hæreticò corruptum, eò quòd plura dogmata hæretica contineat. i.º Homiliâ 3. animam

Dubia et supposititia.

* Dicitur opus imperfectum, quia non ad finem usque, sed solum usque ad 25. c. Matth. perductum est.

aquæ baptismô Sanctificari, et Spiritum Sanctum recipere negat. 2.d Homiliâ 4.tâ Spiritum Sanctum Filii Ministrum vocat. 3.o Hom. 7.â baptisma hæreticorum irritum esse docet. 4.o Hom. 25.tâ Solam animam et non corpus esse de substantiâ hominis asserit. 5.o Homiliâ 48.vâ Homousianos Filium Patri consubstantialem docentes hæreticos dicit, et alia plura similia, quæ non sapiunt Catholicam fidem, nec consequenter S. Chrysostomi doctrinam. Item illius non esse opus istud colligitur ex eo, quòd nulla ratio fuerit eidem, cur de eodem argumentô, hoc est, in Matthæum scriberet, qui jam in eum tot scripserat Homilias, sive sermones.

3/47 58.

S. Hieronymus. obiit an. Chr. 420.

De S. Hieronymo. an. 420.

S. Hieronymus Ecclesiæ Pater et Doctor eruditissimus an. Chr. circiter 329. Stridone, Sitô in Dalmatiæ et Pannoniæ finibus Oppidô, à Gothis quondam eversô, è Christianis et honestis parentibus ortus, statim à primis annis, piâ parentum curâ, primis et ætati congruis litteris sanctisque moribus imbutus Romam ulteriùs erudiendus mittitur, ubi sub Donatô grammaticô Magistrô Græcas litteras didicit simul et Latinas. Ibi sæcularibus disciplinis ad plenum eruditus et Christo in fide renatus, ad Theologiam altioraque studia alia animum adjiciens, antiquorum Philosophorum Pytagoræ, Platonis et aliorum, qui discendi gratiâ varias invisêre mundi regio-

nes, exemplô, in Gaëtias primùm tendit, Gaëtiarum lustravit oras, aliasque vicinas provincias; indè in Syriam secessit, atque in Sanctis Jerosolymæ locis aliquamdiu mansit; inde in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciamque transiit; utque tutiùs Christo serviret Monachi vitam selegit, et Eremi deserta petiit in vastâ Syriæ solitudine, ubi Hæbraïcam coepit discere linguam à quodam Monachô, qui ex Hebræis Christianam fidem amplexus fuerat. Ex hâc solitudine Arianorum persecutione dejectus Antiochiam Jerosolymámque rediit; Antiochiæ degens et trigesimum jam percurrens ætatis annum, à Paulinô Antiochenô Præsule Presbyter est ordinatus; et inde aliquamdiu Gregorium Nazianzenum tunc Poli degentem præceptorem habuit et audivit, tùm Romam ad Damasum Papam accessit. Eo an. 383. è vivis sublatô in Syriam rediit Hieronymus, Jerusalem tendit, et ad Sancta selectaque sibi loca Bethlehemitica feliciter ductus est, ubi severiorem Monachi vitam agens tandem meritis plenus, seniô gravis et decrepitus sanctam efflavit animam an. Chr. 420. ætatis suæ verò 91.

Ejus Scripta omnia vel sunt laudatoria, aut hortatoria; vel polemica, seu contra hæreticos; vel exegetica, seu Sacrarum Scripturarum expositoria. Hîc selectiora duntaxat re-

Scripta ejus.

Scripta ejus ac 1º Laudatoria et exhortatoria.

censebimus et apud Theologos vel contrà haereticos celebriora.

Laudatoria sive hortatoria sunt, 1º Ad Heliodorum de laude Solitudinis Epistola. 2º Ad Nepotianum Heliodori ex sorore nepotem de vitâ Clericorum. 3º Ad Rustium Monachum de vitâ Monachali. 4º Ad Latam viduam de institutione filiae.

5º Ad Demetriadem nobilem virginem Romanam de virginitate. 6º Ad Salvinam de obitu mariti sui. 7º Ad Furiam juvenem viduam de viduitate. 8º Ad Ageruchiam viduam de monogamiâ. 9º Ad Gaudentium de educandâ Paulâ adhuc infantulâ et virginitati jam destinatâ. 10º Ad Celantiam nobilem Matronam de institutione matris familiae. 11º Ad Marcellam nobilem Romanam foeminam de laudibus Asellae sororis ipsius. 12º Ad Principiam virginem Marcellae viduae epitaphium. 13º Ad eamdem Marcellam, ut commigret Bethlehem epistola, quâ Paula et Eustochium filiae ipsius, quae Româ illuc, in Monasteriô vitam monasticam aturae se contulerant, ipsam ut ad illas veniat, invitant. 14º Ad Eustochium de acceptis munusculis, inter quae erant *cerasa, à Cerasunte Armeniae oppidô, undè primò à Lucullô Romam perlata fuêre, sic dicta. 15º Ad Marcellam de acceptis munusculis.

16º Ad Eustochium de custodiâ virginitatis. 17º Ad Marcellam de aegrotatione Blesilae Paulae filiae.

* Cerasa ab Armeniae oppidô Cerasunte dicto, sic nuncupata.

4/48

18º. Ad Marcellam de exitu Leæ religiosissimæ fœminæ et Monasterii præfectæ. 19º. Ad Paulam super obitu Blæsillæ filiæ. 20º. Ad Pammachium nobilem juvenem Paulinæ Paulæ et Toxotii filiæ maritum de obitu Paulinæ uxoris suæ. 21º. Ad Eustochium virginem epitaphium et laus Paulæ matris, quæ postquam Romæ per quinque annos Monachæ vitam professa fuerat, inde Jerusalem profecta, sedensque Bethlehem per 20. annos, post condita tam pro viris, quàm fœminis monasteria sanctissimè vitam potuerat. 22º. Ad Oceanum Epitaphium Fabiolæ nobilis Romanæ fœminæ. 23º. Ad Innocentium de muliere, quæ Vercellis à viro adulterii falsò accusata et ad mortem damnata, à carnifice gladio septies icta mori non potuit. 24º. Vita Pauli Eremitæ, qui primus Eremum habitare cœpit. 25º. Vita S. Hilarionis Monachi et magni Antonii discipuli.

26º. Vita Malchi Monachi ex Maroniâ Syriæ vicô orti. 27º. Liber de viris illustribus, sive Catalogus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Dextrum Prætorio Præfectum et amicum.

Polemica S. Hieronymi Scripta, seu Epistolæ, sive libri contrâ hæreticos, vel calumniatores editi, hæc sunt: Polemica.

1º. Contrâ Helvidium Auxentii Ariani et Mediolanensis Episcopi discipulum de perpetuâ Virginis Deiparæ Virginitate liber unus. 2º. Adversus Jovinianum Romanæ urbis Monachum exeu-

88. cultatum, qui, inter alios errores, tuebatur Virginitatem non prostare Matrimonio, et eos, qui verè baptizati fuerant, in peccatum relabi non posse*, libri duo. 3.º Pro his adversùs Joviniamum libris apologetica epistola ad Pammachium Paulæ generum et amicum suum. 4.º Ad Domnionem amicum suum Apologeticon seu Epist. 51.ª adversùs Monachum quemdam, qui suos in Joviniamum arguebat libros. 5.º Ad Pammachium alterum pro libris suis contrà Joviniamum apologeticon, seu epist. 52.ª 6.º Adversus Vigilantium natione Gallum, Barcinonensis Ecclesiæ in Hispaniâ Presbyterum, Martyrum Reliquias nec venerandas esse, nec ad eorum Sepulchra in Ecclesiis vigilandum esse dicentem*, ad Riparium Presbyterum epist. 53.ª 7.º Adversùs Vigilantium, qui præter memoratos errores, Cleri cœlibatum improbabat, Monachorum in solitudine fugam vituperabat, ceræos in Ecclesiis Sole lucente accensos videbat*, p. liber unus. 8.º Ad Marcellam adversùs Montanum natione Phrygem dicentem, Spiritum Sanctum à Christo promissum in se, Priscam, et Maximillam insanas fœminas descendisse; Unam tantùm in Trinitate personam admitti debere; Secundas nuptias immundas esse, et ut adulteria reputari debere; tres in annò, ex præscriptò Quadragesimas observandas esse; Confessionem peccatorum spernendam esse*; nec lapsos ad pœnitentiam admitti oportere. Epist. 54.ª 9.º* Contrà Luciferianos per modum Dialogi disputatio. Luciferiani

h * Hunc errorem resuscitarunt Calvinista, asserentes, gratiam semel acceptam nunquam amplius amitti posse.

5/49

i * Hæ etiam tuentur nostræ ætatis Acatholici.

k * Hæc omnia iterum Acatholici nostri tuentur.

l * Eam quoque spernunt Acatholici nostri.

m * Schisma Luciferi.

à Luciferô Calaritanô in Sardiniâ Episcopô sic dicti fuerunt. Episcopus iste Arianis adeò infensus erat, ut, ob tale odium in illos, in hunc errorem lapsus sit, atque Episcopos lapsos et ab Arianô lapsu redeuntes sub nullâ poenitentiâ et satisfactione, nisi depositô Episcopatu, suscipiendos esse doceret. Arianorum quoque baptisma adeò improbabat, ut baptizatos ab eis rebaptizandos esse teneret. Unde se à communione eorum, qui Episcopos Arimini lapsos etiam sub satisfactione Antiochiæ, ubi exul erat, receperant, separaverit. 10º. Ad Avitum, quid cavendum in libris Periarchon seu de principiis ab Origene editis, ep. 59.* 11º Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum Epistola, de quâ in Epiphanio suprà egimus, in Latinum translata. Ep. 60. 12º. Ad Pammachium adversùs errores Joannis Jerosolymitani, qui Origenis impia fovebat dogmata, præsertim illud, quod contrâ carnis resurrectionem erat, ep. 61. 13º. Ad Theophilum Alexandriæ Episcopum adversùs Joannem Jerosolymitanum, ep. 62. in quâ suam Epiphanii epistolæ ad eumdem Joannem Jerosolymitanum latinam versionem, suique Monachi in Presbyterum ordinationem defendit. 14º. Ad Pammachium et Oceanum amicos suos contrâ Ruffinum, qui in præfatione ad suam librorum Periarchon Origenis latinam versionem Hieronymum velut Origenistam deprædicaverat; unde factum, ut multi Hieronymum velut Origenistam haberent; hic Pammachio et Oceano, qui hâc de re ad ipsum scripserant, respondens has calumnias et suspiciones

* Hos Origenis libros malè verterat Ruffinus Presbyter Aquilejensis, addens mutilansque aliqua, ut quæ in iis erant hæretica, excusaret, et Origenem cunctis legendum obtruderet; eosdem à Pammachiô rogatus denuò vertit Hieronymus nihil immutans: verum ut sine periculô legi possent, quæ in his sint impiè dicta, et cavenda, ad Avitum eruditè declarat.

6/50

90. diluit, Origenis prodit errores, et Ruffini versionem, ejusque pro Origene defensionem arguit. Et hæc fuit origo dissidii Hieronymum inter et Ruffinum*. 15.º Ad Ruffinum ep. 66. monet eum, ut cùm obliquis et figuratis ipsius laudibus in suspicionem hæresis adductus fuisset, ne simili posthac præconiô illum extollat. 16.º Ad Pammachium et Marcellinum adversùs Ruffinum Epistola 67. apologetica in tres libros divisa; in 1.º crimina sibi rursùs à Ruffinô, recrudescente inimicitiæ vulnere, objecta diluit; in 2.º Ruffini invectivam sub nomine Apologiæ Anastasio Papæ missam confutat; in 3.º Ruffini litteris ad se velut excusatoriis datis respondet. 17.º Ad Ctesiphontem contrâ Pelagium. ep. 68. in qua Pelagii dogmata refellere incipit. 18.º Dialogorum adversùs Pelagium libri 3. quibus Pelagii errores refellit.

Exegetica S. Hieronymi Scripta, seu Epistolæ Exegeticæ, sive Sacrarum Scripturarum Expositoriæ, vel Quæstionum Resolutoriæ, sunt, 1.º Ad Paulinum Presbyterum de singulis divinæ Scripturæ libris epistola. 2.º Ad Desiderium in Pentateuchum Præfatio. 3.º Ad Chromatium Episcopum in Paralipomenon Præfatio. 4.º Ad Chromatium et Heliodorum Episcopos in Tobiam epist. 110. et in Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum Canticorum, ep. 115. 5.º Ad Paulam et Eustochium epistolæ 3. quarum prima est 116. et Præfatio in Ecclesiasten, quem ex Hebræo transtulit. Altera numero 117. est Præfatio in Isaiæ translatio-

59.

* fuit Ruffinus Presbyter et Monachus Aquilejensis rerum peritiâ celebris, et ab ipso Hieronymô celebratus. Româ, quo se contulerat, discedens in Ægyptum ibidem Solitarios invisurus secessit, atque postquam aliquamdiu ibidem apud Didymum Origenis sectatorem ~~aliquam-~~ ~~dim~~ demoratus fuisset, Jerosolymam profectus est, ibique per 25. vel 27. annos considens varia opera edidit. Inde tandem an. Chr. circiter 397. Romam rediit, ubi, cùm, ut diximus, in præfatione suâ in libros Periarchon Origenis Hieronymum obliquis et figuratis laudibus velut Origenistam obtrusisset, hujus animum à se avertit. Hinc ab illo velut Hæreticus et Pelagii et Sectatorum illius antesignanus exagitatus, ab Anastasio Papâ Romā, unde excesserat, citatur, ut se ab erroribus sibi impactis purgaret, cumque non comparuisset, sed apologiam suam duntaxat illuc misisset, à Romanô Pontifice damnatus est. obiisse dicitur in Siciliâ an. Chr. circiter 410. Josephi

nam ex Hebraïcâ veritate. Tertia numerô 121. est Præfatio in Duodecim Prophetas minores. 6.° Ad Damasum Præfatio in Evangelia, ep. 123. 7.° Ad Damasum altera, quæ est num. 125. de quinque quæstionibus ex genesi motis. 8.° Ad Evagrium ep. 126. de Melchisedech, quod fuerit homo p. 9.° Ad Fabiolam de 24. mansionibus, per quas Hebræi ex Ægyptô mutatis castris ad terram promissam pervenerunt. ep. 127. 10.° Ad eamdem de vestitu Sacerdotum veteris legis, ep. 128. 11.° Ad Pardamum de terrâ promissâ, ep. 129. 12.° Ad Marcellam ep. 130. in quâ explicat, quid sit Ephod, Bat, et Theraphim apud Hebræos. 13.° Ad Ruffinum de Salomonis judiciô occasione duarum meretricum p. ep. 131. 14.° Ad Vitalem ep. 132. Quod Salomon et Achaz undecimô ætatis annô filios gemuerint. 15.° Ad Sophronium de Psalmis à se ex Hebræo translatis. 16.° Ad Suniam et Fretelam cum ex Getarum et Germaniæ finibus interrogantes de variis Scripturæ locis, ep. 135.

17.° Ad Marcellam epistolæ tres, 136. 137. et 138. in quibus Decem nomina*, quibus apud Hebræos præcipuè Deus designatur; quid significent apud Hebræos Alleluja, Amen et Maran, Atha; et quid Diapsalma significet, breviter exponit.

18.° Ad Cyprianum Presbyterum ep. 139. in quâ exponit Psal. 9. Domine refugium factus es nobis p. 19.° Ad Principiam Virginem ep. 140. Explicans

91. Judæi Opera, Eusebii Historiam Ecclesiasticam è græco in Latinum vertit, et ei duos adhuc libros addidit. Solitariorum historiam quoque vulgavit, quam Baronius et alii perperam Evagrio adscribunt. Item commentarios in 75. Psalmos Davidicos, ut et Homilias in nonnullos S. Scripturæ libros.

60.

* nempe El, Eloha, Elohim, Sabaoth, Elion, Heje, Adonai, Jah, Saddai, Jehova. El idem est ac fortis; Eloha Deus singulariter; Elohim Deus pluraliter; Sabaoth, id est exercituum, et est cognomen, unde

Semper jungitur cum alio nomine, nempe cum Adonai, et dicitur Adonai Sabaoth, id est, Dominus exercituum. Elion Excelsus; Heja qui est; Adonai Dominus; Jah, nomen Deo proprium et abbreviatum Jehova; Saddai, id est Sufficiens, munificus, omnipotens; Jehova est nomen Dei primarium constans quatuor litteris, nempe Jod, He, Vau, et He, unde Tetragrammaton dicitur, et significat ipsam ineffabilem Dei essentiam, unde et ineffabile vocatur, nec profertur ab Hebraeis nisi à Sacerdotibus reverentiae causâ.

8
52

Psalm. 44. Eructavit cor meum &c. 20°. Ad Damasum Papam epist. tres 142. 143. et 146. de trisagio, de Seraphim visione Isai. c. 6. et de parabolâ filii prodigi &c.

21°. Ad Amandum Presbyterum ep. 147. varia ex Scripturâ proposita explicans.

22°. Ad Hebidiam nobilem apud extremos Gallos exortam foeminam ep. 150. in qua 12. sibi ab ipsâ de Scripturis propositas quaestiones singillatim enucleat et explicat. 23°. Ad Algasiam nobilem aliam ex ultimis Galliarum finibus ortam foeminam, ep. 151. in quâ 11. quaestiones sibi ab ipsâ ex Novô Testamentô propositas resolvit et explicat.

Supposititia vel dubia, quae Hieronymo tribuuntur Scripta sunt, 1°. Traditiones, seu quaestiones Hebraïcae in libros Regum et Paralipomenon; quia in cat. Script. Eccl. sua omnia opera recensens, etiam quaestiones Hebraïcas in Genesim, de his silet. 2°. Commentaria in Threnos, sive Lamentationes Jeremiae ad Eusebium. Haec Rabani Mauri esse creduntur, quia inter Rabani opera inveniuntur, et in iis sententia leguntur ex Gregorio Magnô Hieronymô longè posteriore collectae. 3°. Commentaria in omnes Psalmos. Quia in illis plura docet auctor S. Hieronymo contraria; ut quod Psalmus 89. Moysis non sit, cujus tamen idum esse contendit Hieronymus; deinde in Psal. 16. auctor citat Eucherium S. Hieronymô longè posteriorem; denique Stylus eorum non sapit Hieronymum.

4°. Commentaria in Job ad Vecterium. Bedae esse autumantur, eò quod

Victorius ille longè post S. Hieronymum et tempore Bedæ Anglicani, Anglicæ Ecclesiæ Episcopus fuerit. 5.º Commentaria in omnes Pauli Epistolas. Hæc Pelagii, vel Pelagiani hominis esse colligunt eruditi, eò quòd plura Pelagiana dogmata contineant, dicatque S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. et remiss. se legisse brevia Pelagii Commentaria in omnes Pauli Epistolas.

6.º Plurima ejus operibus insertæ aliorum esse indicant tituli, nimirum Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii et aliorum.

7.º Plurimas epistolas ibidem insertas, ut ad Demetriadem, ad Geruntii filias, ad Amicum, ad Desiderium, imò et Symbolum ad Damasum, quod incipit, Credimus, Pelagii esse opinantur eruditi.

61.

De Sulpicio Severo. 420.

Sulpitius Severus obiisse creditur an. Chr. 420.

Sulpicius Presbiter et Scriptor historiæ Sacræ percelebris, à Gennadio Severus Sulpicius, ab aliis Sulpicius Severus, sed à Hieronymo, Paulino Nolanô, Gregoriô Turonicô et aliis simpliciter Severus vulgò vocatur, vir genere nobilis et litteris, S. Martini Turonici, et Paulini Nolensis discipulus, S. Hieronymi ac Ruffini coævus, à Nitiobrigibus sive Agimensibus Aquitaniæ provinciæ parentibus, ut creditur ortus, et colligitur ex ejus historiâ sacrâ lib. 2. ubi se gallum seu Aquitanum non semel dicit, et Choebadium et Foegatium Aginni Nitiobrigum

 urbis Episcopum, suum vocat Episcopum. Obiisse creditur an. chr. 420.

Falluntur, qui hunc Sulpicium putant esse S. Sulpicium Biturigum Episcopum, cujus meminit Martyrolog. Rom. die 29. Jan. et Gregorius Turonius lib. 6. hist. franc. c. 39. et lib. 1. c. 26. hic enim cùm an. 585. Matisconensi secundo interfuerit Concilio, longè posterior esse dignoscitur Sulpiciô, de quo nunc agimus.

Malè etiam confunditur cum altero S. Sulpiciô itidem Biturigum Episcopô, cui cognomen erat Pius; hic fuit oriundus è Vastinô Biturigum oppidô Vatan gallicè dictô, necnon interfuit Concilio Rhemensi an. 630. et obiit an. circiter 640. ejusque meminit Baronius in Martyrolog. die 17. Jan. Duæ reperiuntur epistolæ ab ipso ad Desiderium Cadurcensem Episcopum scriptæ, et una ad Verum Ruthenensem Episcopum.

Scripta ejus.

Scripsit autem Sulpicius Severus 1°. De historiâ sacrâ libros duos, quam exordiens à mundi cunis perduxit usque ad Stiliconis et Aureliani Consulatum, hoc est ad an. Chr. 400. In quorum primô quædam absurda immiscet, ut, quòd Angeli speciosarum virginum formâ capti, naturæ suæ originisque degeneres, è illis miscuerint, humanam corruperint progeniem, et ex eorum coitu prodierint Gigantes. Item, quòd Sacerdotes, qui possessiones habent, immemores sint præcepti Levitis olim impositi, dum

Prima Uuu pag 53.

1 Lz

eis nulla portio data, quò liberiùs Deo servirent; cùm ex Scripturâ certum sit Levitas habuisse possessiones, imò oppida et suburbana, Levitici c. 25. Jerem. c. 32. Jeremias ex genere Sacerdotum agrum emisse legitur. Act. 4. v. 37. Barnabas Levites agrum, quem possidebat, vendidisse legitur.

Ejus Scripta.

Scripsit Sulpicius 2°. De vitâ S. Martini Turonensis Episcopi librum unum. 3°. Dialogos tres, quorum primus est de conversatione, virtutibus, et miraculis Monachorum Orientalium in Ægyptô degentium, et in quo induitur loquens Gallus cum Posthumianô amicô. in duobus aliis posterioribus exponit virtutes et miracula B. Martini, de quibus nihil dixerat in ejusdem vitâ librô. In his Dialogis plura etiam miscet erronea, ut quòd Ecclesia auró non Struatur, sed Destruatur; reprehendit Episcopos, qui libros Origenis damnaverant. In fine Dialogi 2di ait ex sententiâ B. Martini Neronem simul cum Antichristô venturum, Neronem scilicet in Occidentali plagâ, Antichristum in Orientali persecutionem exercendo regnaturum. Denique aliis omissis monet S. Hieronymus in Ezechiel. c. 36. Severum Sulpicium in Dialogis quibus Gallus et Posthumianus loquuntur, Millenariorum errorem esse sentum.

Scripsit denique etiam epistolas varias ad varios, ut vult Gennadius, sed ex iis tres solum leguntur, 1a ad Eusebium Presbyterum contrà annulos vir-

96. tutum B. Martini. 2a. Ad Aurelium Diaconum, de obitu et apparitione B. Martini. 3a. Ad Bassulam Socrum suam è Tolosâ Trevirim, quomodò B. Martinus ex hâc vitâ ad immortalem transierit.

62. De S. Augustinô. an. 430.

S. Augustinus obiit an. chr. 430.

S. Aurelius Augustinus Hipponensis in Africâ Episcopus, et Ecclesiæ Doctor Maximus, justa et sanctissimus, natione Afer, Tagaste in Numidiâ natus ex Patritiô et Monicâ christianis parentibus an. 354. ita statim liberalibus disciplinis imbutus fuit, ut Grammaticam priùs Tagaste, et Rhetoricam postèa Carthagine summâ cum laude docuerit; ubi adolescens adhuc in Manichæorum hæresin incidit; inde in Italiam profectus Romæ primùm, et Mediolani postèa Rhetoricam iterum docuit, donec à S. Ambrosiô tunc Mediolanensi Episcopô ad Christi fidem conversus et baptizatus est jam trigesimô major an. Chr. 387. atque in Africam ad patrios agros redit, ubi cum amicis Deo pariter servientibus, vitæ à curis sæularibus procul remotæ peractô trienniô, charitatis motivô ductus Hipponem se contulit, ibi à Valeriô Episcopô Presbyter an. 391. ordinatus, et postmodum an. videlicet 396. vivente adhuc Valeriô Hipponensis consecratus est Episcopus. ac tandem, post varia in varios fidei et Religionis hostes certamina, post impugnatos, præsertim Manichæos, Donatistas, Pelagianos, Paganos, et alios; post scripta pro Ecclesiâ volumina fere innumera, quibus hæreticos debellavit, dubios in fide firmavit, fideles exitavit, impios terruit,

2/54

laicos erudivit, clericos institut, monachos docuit, cunctos monuit, omnibus profuit, ubique gentium claruit, coelo tandem maturus, ex hâc vitâ migravit an. chr. 430. ætatis verò 76.

Indubitata ac genuina ejus Scripta secundùm tempora quibus ea exaravit exhibemus.

genuina ipsius opera. ~~[illegible]~~

Igitur adhuc Catechumenus scripsit 1º. Contra Academicos, seu Philosophos ilios, qui ab Academiâ Platonis villâ aliquâ, Academici vulgò diti sunt, quique nihil ab homine certò sciri posse contendebant. 2º. De beatâ vitâ liber unus, in quo ostendit beatam vitam in solâ et perfectâ Dei cogitatione sitam esse.

3º. De ordine Studendi p. libri duo.

4º. Soliloquiorum libri duo.* 5º. De immortalitate animæ liber unus.

6º. De libris Disciplinarum liberalium.

Scripta verò illius jam baptizati sunt 1º. De moribus Ecclesiæ Catholicæ, et de moribus Manichæorum, libri duo.

2º. De quantitate animæ, liber unus. 3º. De liberô arbitriô contrâ Manichæos immutabilem quamdam et Deo coæternam mali naturam introducere volentes libri tres. 4º. De genesi adversùs Manichæos, libri duo.

5º. De Magistrô solô Deô, liber unus.

6º. De verâ Religione, liber unus.

Scripta S. Augustini jam Presbyteri hæc sunt, 1º. De utilitate credendi liber unus. 2º. De duabus animabus contrâ Manichæos, liber unus. 3º.

* Inter illius opera legitur alius Soliloquiorum liber, anima ad Deum, qui incipit Agnoscam te Domine cognitor mens. Sed opus istud est Autoris Augustino recentioris, ut qui c. 32. referat cap. 1. Concilii Lateran. IV. an. 1215. celebrati in quo exprimitur confessio fidei de S. Trinitate.

98. Contrà Fortunatum Manichæum, ~~liber unus~~, qui naturam mali Deo æternam esse persuadere moliebatur, lib. unus. 4°. De fide et Symbolô, liber unus. 5°. De genesi ad litteram liber imperfectus. 6° De Sermone Domini in monte, libri duo. 7°. Psalmus contrâ partem Donati. 8°. Contrâ epistolam Donati, in quâ contendebat hic hæreticus nonnisi in suâ communione baptisma Christi esse, liber unus. 9°. Contrà Adimantum Manichæi discipulum, liber unus. 10°. Expositiones quarundam propositionum ex Epistolâ ad Rom. liber unus. 11°. Expositiones Epistolæ ad Galatas, liber unus. 12°. Epistolæ ad Romanos inchoata expositio. 13°. De diversis quæstionibus octoginta tribus. 14°. De Mendaciô, liber unus.

3/55

Scripta ipsius jam Episcopi hæc sunt, 1°. De diversis quæstionibus ad Simplicianum, libri 2. 2°. Contrâ epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, liber unus. 3°. De Agone Christianô, lib. unus. 4°. De doctrinâ Christianâ, libri 4. 5°. Confessionum libri 13. 6°. Contrâ Faustum Manichæum, grande opus. 7°. Contrâ Felicem Manichæum, libri 2. 8°. De naturâ boni contra Manichæos liber unus. 9°. Contrâ Secundinum Manichæum, liber unus. 10°. De catechizandis rudibus, liber unus. 11°. De Trinitate libri 15. 12°. Contrâ Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi libri 3.

13º. De Baptismô contrâ Donatistas, 99.
libri 7. 14º. De opere seu labore Mo-
nachorum. 15º. De bono conjugali
contrâ Jovinianum, liber unus. 16º.
De Sanctâ virginitate, liber unus. 17º.
De Genesi ad litteram, idest Secundùm re-
rum gestarum proprietates, libri 12.
18º. Contrâ litteras Petiliani Donatistæ
libri tres. 19º. Contrâ Cresconium
Grammaticum et Donatistam, libri 4.
20º. De divinatione dæmonum
libellus. 21º. De unicô Baptismô
contrâ Petilianum Donatistam, liber
unus. 22º. De peccatorum meritis
et remissione contrâ Pelagianos, libri 3.
23º. De Spiritu et litterâ ad Marcel-
linum occasione hujus Apostoli Sententiæ
littera occidit, Spiritus autem vivificat,
contrâ Pelagianos, liber unus. 24º. De
fide et operibus, contrâ eos, qui tuebantur
bona opera ad Salutem æternam consequen-
dam haud necessaria esse, sed solam fi-
dem sufficere*, liber unus. 25º. De
naturâ et gratiâ ad Timasium et Jaco-
bum contrâ Pelagianos, liber unus. 26º.
De gestis Pelagii, liber unus. 27º. De
gratiâ Christi, et de peccatô Originali con-
trà Pelagium et Coelestium, libri duo.
28º. De Nuptiis et Concupiscentiâ ad
Valerium Comitem contrâ Pelagianos, li-
bri duo. 29º. De adulterinis con-
jugiis ad Pollentium, libri duo. 30º.
Contrâ duas epistolas Pelagianorum, libri
quatuor. 31º. Contrâ Julianum Pe-
lagianum, libri 6. 32º. De Prædes-
tinatione Sanctorum et de bonô perseve-
rantiæ libri duo, scripti post libros Retracta-

* id tuitus est Sæcu-
lo 16to Lutherus p.

 tionum, prout ipsemet testatur libro secundo, unde non mirum, quod in his retractationum libris eorundem non meminerit.

33°. De animâ et ejus origine, libri quatuor. 34°. De origine animæ et de sententia Jacobi Apostoli dicentis: Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. libri 2. seu epistola ad Hieronymum scripta. 35°. Contrâ Adversarium legis et Prophetarum virum Marcionistam sive alium hæreticum anonymum opinantem Deum hujus mundi opificem non esse, et Deum Legis per Moysem datæ, ut et Prophetarum, ad eandem legem pertinentium, verum Deum non esse, sed pessimum Dæmonem, libri duo. 36°. De videndo Deo liber unus. 37°. De consensu Evangelistarum, libri 4. contrâ Pelagianos.

38°. De Civitate Dei, libri 22. contrâ Paganos. 39°. De sex quæstionibus contra Paganos expositis, liber unus, per modum epistolæ ad Deogratias. 40°. Locutionum Scripturæ sacræ, libri 7.

41°. Ad Orosium contrà Priscillianistas et Origenistas, liber unus. 42°. Contrâ mendacium, liber unus. 43°. Breviculus collationum cum Donatistis, libri 3. 44°. De gestis cum Emeritô Cæsariensi Donatistarum Episcopô, liber unus. 45°. Enchiridion seu Manuale ad Laurentium, liber unus. 46°. De curâ pro mortuis ad Paulinum Nolanum Episcopum, liber unus. 47°. De gratiâ et liberô arbitriô ad Valentinum et Monachos Adrumetinos, liber unus.

48°. De correptione et gratiâ ad eosdem, liber unus. 49°. De hæresibus

ad Quodvultdeum, libellus unus, post libros Retractationum scriptus, unde illius ibidem non meminit. 50º Epistolæ plurimæ*, quæ habentur Tom. 2. operum ipsius. Item Sermones multi, qui reperiuntur inter genuina S. Augustini scripta; hæ enim epistolæ et sermones ab ipso editi fuerunt, ante libros Retractationum.

51º Genuina pariter censeri debent alia S. Augustini scripta, quæcumque vel memorantur in prædictis Retractationum libris, vel in indiculo Possidii Calamensis Episcopi et Augustini discipuli, ejusque vitæ ac gestorum historii, qui librorum omnium S. Augustini fidelissimum tenuit indiculum seu Catalogum: Sic Enarrationes seu Expositiones in omnes Davidis Psalmos Augustini verè esse censentur, licèt de illis nihil dicatur in Retractationibus, quia memorantur in indiculo Possidii, et ab ipso Augustino in præfatione Psalmi 118. 52º denique Retractationum libri duo, in quibus opera sua recenset Augustinus, atque quæ in iis minùs aptè scripsit, retractat*.

Cætera, quæ Augustino tribuuntur Supposititia et Dubia censeri debent, utpote quæ nec in Retractationibus nec in præfato Possidii indiculo memoratur, nec alibi de iis ipse S. Augustinus meminit, quamvis illius operibus sint inserta, ut sunt 1º De Grammaticâ, liber. 2º Principia Dialectica, liber. 3º Categoriæ decem, liber. 4º Principia Rhetorica. Hi libri longè diversi sunt ab iis, quos se conscripsisse testatur

* 271. numerantur.

* Habentur Tom. 1. operum ipsius primo loco.

Supposititia et Dubia S. Augustino adscripta opera.

102. Augustinus i. Retract. c. 8. Item autor libri Decem Categoriarum admittit Antipodas, quos S. Augustinus negat lib. 16. de Civit. Dei, c. 9. 5.º Ad Demetriadem epistola, est Pelagii, utipsemet indicat S. Augustinus lib. de Grat. Chr. c. 20.

6.º De mirabilibus Sacræ Scripturæ libri 3. Hos S. Augustino abjudicant S. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. Lovanienses, Bellarminus aliique. neque in Retract. neque in Indiculo Possidii memorantur, neque Augustini Stylum sapiunt. Autor hic post annum 530. aut etiam 700. vixisse perhibetur, cùm lib. 2. c. 4. cyclorum meminerit. 7.º De fide ad Petrum Diaconum, liber. De eo nec in Retract. nec in indiculo quidquam; est S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, prout Stylus prodit, et mutua inter S. Fulgentium et Petrum Diaconum amicitia; insuper sub nomine Fulgentii legitur ab Ecclesiâ in secundo Nocturno festo SS. Trinit. 8.º De Spiritu et animâ liber, in quo citatur Boëtius centum ferè annis Augustino posterior. nam Boëtius an. 526. die 23. octob. jussu Theodorici Regis occisus est. 9.º Liber quæstionum veteris et novi Testamenti, est viri cujusdam hæretici, nam q. 2. Mundum propter diaboli præsumptionem factum fuisse dicit. q. 21. Mulierem non ad imaginem Dei creatam fuisse docet. q. 80. Homines non nasci filios diabolo tuetur. et q. 109. Melchisedech esse Spiritum Sanctum, et alia similia.

10.º De Incarnatione Verbi, libri duo.

11.º De Trinitate et unitate Dei, liber.

12.º De essentiâ divinitatis, liber.

13.º De substantia dilectionis, liber. 14.º

De Salutaribus Documentis, liber. 15.º 103.
Liber de amicitiâ. 16.º Liber de verâ et falsâ poenitentia. Non sunt hi libri S. Augustini, cùm nec in Retractationibus, nec in indiculô reperiantur; et alioquè auctor libri de verâ et falsâ poenitentiâ S. Augustinum nominatim citet, et ab illo dissentiat.

17.º Concio ad Catechumenos contrâ Judaeos, Paganos, et Arianos. 18.º oratio adversùs Judaeos. In indiculô hae duo opuscula reperiri ajunt nonnulli, adeoque esse S. Augustini; sed dubitant alii, ajuntque hae Possidii verba in indiculô posita, adversùs Judaeos tractatus duo, intelligendos esse de duobus Sermonibus de tempore, videlicet 234. et 235.

19.º Liber de altercatione Ecclesiae et Synagogae, nec in Retract. nec in indiculô memoratur, nec stylum S. Augustini sapit. 20.º De praedestinatione et gratiâ liber. Liber iste nec in Retract. nec in indiculo reperitur, nec sapit Augustini stylum, nec ratio seu causa ipsi fuit hunc librum scribendi, cùm tam copiosè de praedest. Sanct. jam scripsisset. Docet etiam hujus libri Auctor c. 16. hominem potuisse justè à Deô aeternùm damnari, etiamsi non peccasset, quod est contrâ Augustinum, lib. 3. contrâ Julian. c. 8. 21.º Libri Hypognosticon 6. Catholici, utiles et eruditi quidem, sed nec in Retract. nec in indiculô memorantur, nec sapiunt Augustini stylum.

22.º Liber de Speculo. In illius c. 3. citatur Boëtius Augustinô recentioris ævi; et c. 27. Spiritus Sanctus à Filiô procedere

104. negatur, cujus oppositum passim affirmat Augustinus. 23º. Liber de conflictu Virtutum et vitiorum, qui etiam S. Leoni tribuitur; sed ab utriusque stylô differt, et in idius fine citatur Regula S. Benedicti Augustinô et Leone posterioris. 24º. Liber de Antichristô, mentionem facit de Imperiô à Græcis ad gallos seu Germanos translatô, quod primùm an. 800. evenit. 25º. Liber expositionis in Apocalypsim, cap. 21. de Statu præsentis Ecclesiæ exponit id, quod S. Augustinus, lib. 20. de civ. c. 17. nimiæ impudentiæ esse dicit. 26º. Liber Soliloquiorum animæ ad Deum, qui incipit, Agnoscam te Domine &c. de quo suprâ pag. 97. in margine. 27. Sermones 76. ad fratres in eremo &c. Ab impostore aliquo semilatinô sub nomine S. Augustini conficti sunt, qui SS: Augustini, Cæsarii, Gregorii, et aliorum verba identidem immiscet: eorum phrasis (: si sermones duo 52. et 53. excipiantur*:) impropria est, lutulenta et inepta, ut mirum sit, potuisse hos Sermones ab aliquo prudenti virô S. Augustino attribui.

Alia adhuc inter ipsius Scripta recensetur opuscula, de quibus nihil certi nobis dicendum occurrit, cùm nuæibi reperiantur notati, nec in Retract. nec in Indiculô Possidii memorentur. Sunt tamen pii et docti, necnon Augustini ingeniô digni. Sunt autem hæc, 1º. Meditationum Liber. 2º. De diligendo Deô liber. 3º. Manuele. 4º. De triplici habitaculô. 5º. De Scalâ paradisi. 6º. De duodecim gradibus abusionum. 7º. De Contritione cordis. 8º.

* hi duo sermones ponuntur inter sermones S. Augustini à Lovaniensibus ordine 49. et 50.

De cognitione veræ vitæ. 9°. De vitâ 105.
Christianâ. 10°. De assumptione B. Ma-
riæ. 11°. De Cantiô novô. 12°. De
contemptu mundi. 13°. De vanitate sa-
culi. 14°. De obedientiâ et humilitate.
15°. De bonô disciplinâ. 16°. De vi-
sitatione infirmorum. 17°. De con-
solatione mortuorum. 18°. De quartâ
feriâ. 19°. De cataclysmô seu Diluviô.
19°. De tempore barbariô. 21°. De
sobrietate. 22°. Speculum peccatoris.
23°. De laudibus Charitatis. 24°.
De honestate mulierum. 25°. De Sym-
bolô fidei. 26°. De rectitudine Catho-
licæ conversationis. 27°. De utilitate
jejunii. 28°. De creatione primi ho-
minis. 29°. De arbore scientiæ boni et
mali. 30°. De pugnâ animæ. 31°.
Psalterium matri suæ. 32°. Expositio
super Magnificat.

De S. Paulino. an. chr. 431. 63.
S. Paulinus Nolanus.
obiit an. chr. 431.

S. Paulinus in Campaniâ Italiæ provin-
ciâ Nolensis Episcopus, S. Augustini æqualis
et Discipulus, vir non minus sanctitate, quàm
eruditione clarus, natione Gallus Ebromagi
ad Garumnæ fluminis ripam non procul
ad Burdegalâ Aquitaniæ urbe claris paren-
tibus ortus; adolescens sub Ausoniô suô Bur-
degalæ Magistrô ita profecit, ut tam in Ora-
toriâ quàm Poëtiâ faultate docentis
gloriam superaverit. exinde matrimo-
niô Therasiæ locupleti et piæ virgini jun-
ctus cum eâ in Hispaniam profectus est bis;
inde in Italiam redeans, cum prius Barcino-
ne à Lampiô Episcopô Presbyter ordina-
tus fuisset, et Mediolanô Româque lus-
tratis Nolam pervenit, ubi paulò pòst
creatus est Episcopus, quam † sanctè usque † Ecclesiam

 ad obitum suum vexit. obiit autem an. chr. 431.

Scripta ejus

Scripsit tam metrô quàm prosâ varia volumina. Scripta ejus soluta sunt, 1º Ad Severum Sulpicium epistolæ 14. 2º Ad Delphinum Burdigalensem Episcopum à quo, post primum suum ex Hispaniâ reditum, baptizatus fuerat, epistolæ 5. 3º Ad Amandum Delphini posteà Successorem epistolæ 6. 4º Ad Victricium Rothomagensem Episcopum, epistolæ 2. 5º Ad Aprum Tullensem in Lotharingiâ Præsulem, epistolæ 3. 6º Ad Florentium Cadurcensem Episcopum, epistola 1.

7º Ad Alithium sive Alethium Florentii in Sede Cadurcensi Successorem epistola una. 8º Ad Desiderium fortè Lingonensem Episcopum, epist. una.

9º Ad Macarium, illum haud dubiè solitarium, cui Ruffinus suam pro Origene direxit apologiam, epist. una.

10º Ad Pammachium virum proconsularem, ut consoletur eum de obitu conjugis suæ Paulinæ, Sanctæ Paulæ filiæ post Blæsillam natu maximæ. Ep. una.

11º Ad Jovium virum eloquentem et eruditum, sed de providentiâ Dei philosophicè, et non Christianè sentientem, ep. una. 12º Ad Militem quemdam epist. una, quâ eum hortatur ut à Cæsaris ad sacram militiam transeat.

13º Ad Sebastianum Eremitam epistola. 14º Ad Augustinum, epistolæ 4. 15º Ad Alipium, ep. una. 16º Ad Romanianum epist. una, quâ ei nuntiat, Valerio Hipponæ Episcopo Augustinum Collegam esse ♃ 17º Ad Licentium Augustini quondam discipulum, ep. una, ubi prosâ et carmine eum hortatur, ut relictô sæculô se totum Christo tradat. 18º Ad Ruffi-

♃ datum

num, epistolae 2. 19°. Ad Marcellam ep. una. 20°. Ad Celantiam nobilem Matronam, ep. una. 21°. Ad Eucherium et Galam uxorem ejus, ep. una.

Scripta eius metrica seu Poetica sunt, 1°. Ad Jovinum, in quâ docet fatum et fortunam nihil esse. 2°. Ad Ausonium Magistrum suum epistola 4. 3°. Ad Citherium carmen de naufragiô Martiniani p. 4°. De obitu Celsi pueri carmen panegyricum. 5°. Natales S. Felicis, hoc est, Natalitia carmina varia in Natalem S. Felicis. 6°. Panegyricus Theodosii super victoriâ tyrannorum. 4 epistola una

Extant insuper in Bibl. PP. opera nonnulla alia, quae falsò tribuuntur S. Paulino Nolano, ut 1°. Sex libri de vitâ S. Martini Turonensis Episcopi carmine conscripti. Horum enim Autor meminit S. Paulini Nolani, et se ejusdem nominis esse dicit, neuon hoc suum opus Dedicat Perpetuo Turonensi Episcopo, qui sedit annô circiter 470. et praefuit Concilio Turonensi an. 480. longè post obitum Paulini Nolani. 2°. Vita S. Ambrosii. Hac stylum Paulini non sapit, et Auctor indicat se ut ministrum et amanuensem adstitisse S. Ambrosio; Paulinus autem Nolanus nunquam ut minister adstitit S. Ambrosio, et multò ante ejus mortem Presbyter erat, ut ipse testatur in ep. ad Alipium. 3°. Carmen Eucharisticum de vitâ suâ. Hujus autor scribit gesta sua usque ad annum vitae 83. at Paulinus Nolanus non excessit annum vitae 78. ut constat ex Baroniô. Suppositititia alia nonnulla.

Praeter hunc Paulinum celebrantur adhuc alii apud Scriptores Ecclesiasticos, ut sunt 1°. Paulinus Bitterensis, cujus epistolam sub annum Chr. 420. Judaeus

108. commemorat, inquit Gennadius, de Script. Eccl. 2.º Paulinus autor memorati Carminis Eucharistici, quem Ausonii ex filiâ Hesperiâ nepotem fuisse ex ejus verbis deprehendisse sibi idem Gennadius videtur. 3.º Paulinus Petricordius qui suprâ memoratam vitam S. Martini Turonensis sex libris metricè conscripsit, et perpetuo Turonensium Episcopo dicavit. 4.º Paulinus Aquilejensis Patriarcha tempore Carolomanni, circâ an. 774. qui claruit variis in Conciliis contrâ Elipandum Toletanum, et Felicem Urgelitanum Episcopos, et contrâ quos libellum edidit, cui titulus est, Libellus de SS. Trinitate adversus Elipandum Toletanum, et Felicem Urgelitanum Antistites, dictus Sarcasyllabus.

64. De S. Nilo. an. 440.

S. Nilus.

Floruit circa an. 440.

S. Nilus patria Cp.mus nobilitate generis atque opibus illustris, adeò ut Urbis Cp.ræ Præfecturâ donaretur. Potentiâ et opibus affluens, iis asceticam vitam prætulit, factus cum filiò suò Theodulò in monte Sinaï Monachus, et multorum in Oriente Monachorum Abbas, S. Joannis Chrysostomi discipulus, Theodoreti coætaneus, sub Theodosiò juniore, sanctitate et eruditione celebris et clarus circâ an. 440. Varia reliquit eximia solidæ pietatis et sanctæ eruditionis opera, inter quæ hæ præcipuè numerantur, 1.º Parænetica, hoc est liber Parænetius, sive admonitorius vel hortativus, varia Parænetica completens capita brevia, sive hortationes et monita. 2.º De Oratione liber, sive de modò orandi

Ejus Scripta.

Deum. 3º. Liber Asceticus seu de Christianâ Philosophiâ, quo nomine Monasticam intelligit. 4º. De Monachorum institutione, liber unus. 5º. De Monachorum præstantiâ tractatus. 6º. Peristeria, seu Tractatus de virtutibus excolendis, vitiisque fugiendis exemplô Peristeriæ clarissimæ eo sæculô foeminæ, et mirandæ virtutis Matronæ, ad Agathium monasticam vitam agentem.

7º. De voluntariâ paupertate, seu de nihil possidendô tractatus ad Magnam Ancyræ Diaconissam fœminam illustrem et venerandam. 8º. Tractatus de vitiis ad Eulogium Monachum. Quem sequitur Tractatus de diversis malignis cogitationibus, ad eumdem. 9º. Historia de Incursione Saracenorum, et de martyriô occisorum in monte Sinaï, in quâ occisos Presbyteros, et filium suum Theodulum aliosque plures sublatos asserit.

Prima Xxx pag 61

10º. Epistolæ 657. de novô detectæ et Latinitate donatæ à Leone Allatiô post jam editas 355. à P. Possevinô S. J. quarum duæ ultimæ una videlicet ad Olympiodorum Præfectum, altera ad Heliodorum Silentiarium lectæ fuêre in act. 4. Concilii Oecum. VII. in confirmationem sacri imaginum cultûs.

65. D. S. Cyrillo Alexandrino. obiit an. chr. 444.

De S. Cyrillô Alexandrinô an. 444.

S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, post Theophilum avunculum et ante Dioscorum Eutychianum Alexandrinæ Sedis Episcopus an. chr. 412. vel 413. ordinatus, vir fuit vitæ sanctitate, doctrinæ famâ, et ingenii acumine clarus, hæreticorum omnium, maximè Nestoria-

110. norum, de quibus tandem, Ecclesiæ fulmine prostratô Nestoriô, gloriosè triumphavit; in Alexandrinô primùm et deinde in Ephesinô Oecumenicô Conciliô Coelestini I. Papæ vices agens ut Legatus et Præses. Post 32. annorum Episcopatum vitam posuit Theodosiô juniore imperante, et Sedem Romanam occupante S. Leone Magnô an. chr. 444. die 28.vâ Januarii.

Ejus Scripta.

~~[illegible]~~

Ex variis, quæ scripsit, operibus præcipua sunt ista, 1.º In Scripturam opera varia, ut in Genes. lib. 11. In Leviticum libri 16. Sed videntur esse Origenis, tùm quia sensum litteralem ubique destruit auctor, tùm quia reperiuntur inter Origenis opera. In Isaiam libri 5. In Evangelium S. Joannis lib. 5. Dicta Veteris Testamenti anagogicè, breviter et dilucidè explicata. Liber adversùs Judæos. Breves Anagogæ, de iis, qui floruerunt ante Legem, ut Abel, Enos, Abraham, Isaac, Jacob, &c. 2.º Epistolæ variæ è quibus 39. numerantur occasione impiæ Nestorii doctrinæ ad varios, et variæ ad ipsum, necnon ad ipsum Nestorium aliquot in quarum tertiâ quæ ipse credere debeat, quæve anathematizare exponit ei duodecim capitulis, quibus singulis additur anathema, quæque ideo duodecim anathematismi Cyrilli vulgò vocati sunt. 3.º Homiliæ 10 mirabiles et eruditæ, suntque ferè omnes de mirabili Verbi Incarnatione et contrâ impia Nestorii dogmata, quarum

2

septima et octava à Paulo Emeseno Episcopo coram Cyrillo Alexandrino Alexandriae dicta fuerunt. 4o. Apologia ad Theodosium Imperat. ad inclytas Reginas Eudoxiam videlicet ejus uxorem et Pulcheriam Sororem cum prius, ut eas contra Nascentem Nestorianam haeresim in fide firmaret, scripsisset, à Nestorii sectatoris aemulatur apud Imperatorem, quasi aulico quietis perturbator, à quo crimine, ut se purgaret, hanc scripsit Apologiam.

5o. Declaratio 12. Capitum, seu Anathematismorum fusior explicatio Ephesi in Concilio prolata. 6o. Liber Apologeticus pro 12. Capitulis ad Orientales Episcopos. 7o. Alter Apologeticus ad Euoptium Episcopum pro iisdem 12. Anathematismis contra reprehensiones Theodoreti Cyrensis Episcopi. 8o. Expositio Symboli Nicaeni ad Anastasium, Alexandrum, Martinianum p. Presbyteros p.

9o. Synodales Epistolae 12. quae haud parum faciunt ad noscenda ea, quae in Synodo Ephesina gesta fuerunt.

10o. Thesaurus adversus haereticos, hoc est, opus insigne adversus haereticos, Arianos scilicet, et Eunomianos, de consubstantialitate Filii et Spiritus sancti cum Patre ad fratrem suum Nemesinum.

11o. Dialogorum cum Hermia viro doctissimo et aequissimo libri 7. de consubstantiali Trinitate. 12o. De adoratione in spiritu et veritate libri 17. ad Palladium. 13o. Contra Julianum Apostatam, seu libros 3. quos ipse contra Religionem Christianam

2/62

112. Scripserat, libri 10. pro eâdem Religione Christianâ. 14º. De rectâ in Christum fide ad Theodosium et Reginas, Eudoxiam nempe et Pulcheriam libri 2.

15º. Adversus Antropomorphitas, seu eos, qui Deum formâ humanâ præditum asserebant, liber unus.

Præter hos libros S. Cyrillo tribuitur liber unus de Sacro-Sanctâ Trinitate, at illius non esse, sed recentioris auctoris conveniunt eruditi ex eo, quòd in eo de duabus in Christô voluntatibus et operationibus copiosè disserat auctor, unde indicium est, librum hunc non Cyrilli tempore scriptum fuisse, sed post exortam Monothelitarum hæresim Cyrillô posteriorem.

Insuper Cyrillo Alexandrino adscribuntur in 12. Prophetas minores Commentarii, Ingolstadii in foliô græcè et Latinè cusi. Item dicuntur extare in Bibliothecâ Vaticanâ Romæ totidem Cyrilli manuscriptæ Paschales epistolæ, quot fuerunt ejus Episcopatûs anni.

M. Hirsch Ch. Numerus Marginalis.

S. Hilarius Arelatensis Episcopus. obiit an. Chr. 449.

De S. Hilariô Arelatensi. 449.

S. Hilarius gente gallus parentum origine clarus, gente gallus, et professione Coenobii Lirinensis insulæ sub S. Honoratô Monachus, tandemque, post Honoratum Arelatensem Episcopum, ordinatus et ipse Arelatensis Episcopus, SS. Leonis Magni et Augustini coætaneus, vir juxtâ S. Eucherium, clarus eloquiô et ingeniô, annis juvenem, et moribus senem præferens. obiit meritis plenus an. chr. 449. cujus vitam scripsit S. Honoratus Massiliensis Episcopus.

Scripsit 1º. Vitam S. Honorati Lirinensis insulæ cultoris primi, Arelatensisque postea, post Patroclum, Episcopi et prædecessoris sui. 2º. Homilias varias pro totius anni festivitatibus. 3º. Expositionem Symboli. 4º. Epistolas varias ad Germanum contra Hæreses. 113. Scripta ipsius.

5º. Carmen heroïcum de Geneseos historia ad Leonem Papam.

3/63

Eidem à nonnullis adscribitur Epistola una de prædestinatione ad Sanctum Augustinum, contra Pelagianos; sed perperam, nam S. Prosper de eadem re cum Hilario ad Augustinum scribens, ait, Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum*, Hilarius verò, qui scribit ad Augustinum se tunc Latium fuisse significat, atque se in Africa Augustini discipulum fuisse testatur; constat verò Hilarium nostrum nusquam in Africa fuisse.

* Eumque Semipelagianorum partibus adhæsisse testatur.

66. S. Petrus Chrysologus. obiit an. 450.

De S. Petro Chrysologo. an. 450.

S. Petrus Chrysologus natione Italus in Foro Cornelii, quod hodie Imolam vocant, honestis et claris parentibus natus, à S. Cornelio Ravennæ civitatis Episcopo tam bonis moribus, quàm litteris institutus, ac ab eodem denum sacro altari admotus; anno denique 433. Ravennæ Episcopus factus est, atque sanctitate et doctrina clarus obiit anno chr. circiter 450. Hæsitantur enim, qui vitam illius ad sequentis sæculi initium, nempe ad an. chr. 502. protrahunt; siquidem extat S. Leonis Papæ epistola 37ma ad Leonem Ravennatum Archiprasulem et S. Petri Chrysologi Successorem Martiano et Adelphio Con-

114. Sulibus, id est, anno 451. data.

Ejus Scripta.

Scripsit Homilias, sive Sermones 176. in Evangelia de Dominiis et festis aliquot solemnioribus totius anni, breves quidem, sed insignes pietate, doctrinâ uberes, et eloquiô disertos. Scripsit etiam ad Eutychen Presbyterum et Archimandritam Cp.num insignem Epistolam, quâ ad fidem Catholicam eum reducere allaborat; et in quâ supremam Romani Pontificis in fidei et morum quæstionibus definiendis auctoritatem agnoscit et deprædicat his verbis: In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimô Papâ Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propriâ sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studiô pacis et fidei, extrâ consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas audire non possumus.

67. De Vincentiô Lirinensi. an. 450.

Vincentius Lirinensis Monachus, obiit circa an. 450. vel paulò ante.

~~[illegible]~~

Vincentius Lirinensis vel ob suum egregium adversus hæreticos libellum, quem Commonitorii titulô insignivit, hîc locum mereri nobis videtur. Fuit gente Gallus, Tuli Leucorum, primæ Belgicæ seu Lotharingiæ oppidi natus, splendidâ nobilique familiâ ortus, patrem Epirochium, fratrem Lupum Episcopum Trecassinum habuit. Primis juventutis annis militiam sæcularem secutus est; quâ desertâ, ad Lerinum* se conferens vitam monasticam amplexus est, ad Presbyteratûs dignitatem mox evectus. Claruit an. 434. triennio scilicet post Synodum Ephesinam, quo, ut ipse testatur*, Com-

*Lerinum, seu Lirinum. Duæ propè littus Provinciæ Galli

*Commonit. c. 42.

monitorium suum scripsit. Obiit an. 450. vel paulò antè Theodosio adhuc et Valentiniano regnantibus. Eum Semipelagianum fuisse contendunt eruditi non pauci, negant alii; quâ de re plura inf. Tom. 2. Tract. 4. de Gratiâ c. 2. §. 3. ~~[illegible]~~.

Scripsit Vincentius, suppressô suô, et assumptô Peregrini nomine, nitidô satis et apertô sermone adversus Hæreticos Commonitorium duplex; posterius furtô sibi ablatum perdidit; undè recapitulationem quamdam, quo istius vices suppleret, priori subnexuit. Scripsit adhuc Vincentius, juxtâ complures eruditos, objectiones pro Semipelagianis adversus Augustini scripta et doctrinam de prædestinatione et liberô arbitriô; quas capitulis 16. summatim comprehensas exhibet S. Prosper in libro, quo eas refellit.

De S. Eucheriô antiquiori. an. 454.

Dicos Eucherios inter SS. Patres binosque Lugdunensium diverso tempore Episcopos, unum videlicet, qui an. ch. 432. ibidem consecratus fuerit Episcopus, alterverò, qui an. ch. 529. Concilio Aransicano II. interfuit, et cujus nihil superest præter Historiam passionis S. Mauritii ac Sociorum ejus Thebæorum, ad Sylvium Episcopum, evincunt eruditi.

S. Eucherius ergò, de quo nunc agimus, et quem seniorem nuncupamus seu antiquiorem, vir fuit natione Gallus, natalibus illustris, vitamque Monasticam egit in insulâ quâdam propè Lerinum sitâ, ubi, ut videtur, degit, donec annô 437. Episcopus Lugdu-

115.
ne legionis ex adversô Oppidi Cannarum diti et duabus ab urbe Antipodis versus meridiem leucis gallicis in mari mediterraneô sita conspiciuntur; quarum major et littori propinquior, ab Antiquis Lero seu Loron dicta, S. Margaritho nomen habet; altera et minor ab antiquis Planasia, Lerina, Lerinum, et Lerinus dicta, insula S. Honorati, ob insigne abeo in idô extructum monasterium, ex quo plures Episcopi et Martyres Eulerio dati fuerunt, atque etiamnum hodie à Benedictinis incolitur, nuncupatur. Ambæ hæ insulæ vulgò Lerina insulæ vocantur.

68.
S. Eucherius Lugdunensium Episcopus antiquior obiit an. ch. 454.

118 nensis factus est. Anno 441. Concilio Arausiano I. interfuit. obiit circa an. 454. Valentiniano et Martiano regnantibus. Uxoratum fuisse constat: nam ex conjugio Solanium et Verianum Episcopatus posteà dignitatem adeptos suscepit filios.

Ejus opera.

Scripta ejus hæc sunt, 1º Liber formularum Spiritualis intelligentiæ ad Verianum filium, in quo explicat significationes nominum latinorum S. Scripturæ, eorumque figuras, in quibus aliqui solent in S. Scripturâ, ut his perceptis internus sensus et spiritalis facilè percipiatur.

2º Libri duo de difficilioribus veteris ac novi Testamenti quæstionibus ad Solanium Filium. 3º Parænetica ad Valerianum cognatum suum de contemptu mundi et sæularis Philosophiæ epistola. 4º Ad Hilarium Tetensem de laudibus eremi, seu de vitâ solitariâ.

Libri explanationum in genesim, et libros Regum, quæ ipsi vulgò tribuuntur, sunt autoris recentioris; cùm in iis citetur Gregorius Magnus Eucheriò longè posterior, et in fine præsertim libri invitetur Lector ad legenda Gregorii Magni Moralia.

Theodoretus Cyri Episcopus obiit an. Chr. ut creditur 460. vel 470.

69. De Theodoreto Cyri Episcopo. an. Chr. 460.

Theodoretus Cyri Episcopus, Antiochiæ piis et nobilibus parentibus ortus, matrique sterili Sanctorum Syriæ Monachorum precibus à Deo datus, et à parentibus Deo redditus, Theodoreti seu Theodoriti exinde nomen meritò traxisse videtur. Non-

dum Septimum vitæ annum excegerat, cùm ad S. Euprepii Monasterium non longè ab Antiochiâ situm mittitur tam bonis litteris quàm moribus, instituendus, ubi brevi tantam pietatis, et eruditionis famam consecutus est, ut annô circiter 423. juvenis adhuc et invitus fuerit ordinatus Cyri Episcopus, hoc est, oppidi in Syriâ à Cyrô Persarum Rege conditi, et ipsius nomine vocati, quô in Sede octingentarum Ecclesiarum curam sortitus est /: tot enim parochiales Cyrensis Episcopus habet Ecclesias:/ Divina et permulta contra Paganos, Judæos, Hæreticos, Arianos, Marcionitas, Eunomianos, certamina suscepit et sustinuit, vir sanè magnus, stylô fluidus, et eloquiô facilis, copiosus et amœnus, Orientalis Ecclesiæ Pater et Doctor celeberrimus, S. Joannis Chrysostomi discipulus et sectator fidelissimus, Cyrilli Alexandrini coætaneus, et tantis periclitando pro Nestoriô, sed zelô Religionis adversarius; qui tandem postèa resipiscens cum Cyrillô unitâ pace, Nestorio libens anathema dixit! Postèa in prædatoriâ Synodô Ephesinâ an. 449. præside Dioscorô Alexandrinô Episcopô Eutychianô non vocatus nec auditus ab hæreticis condemnatus, et à suâ Sede properam et injustè detrusus est; sed eidem à S. Leone Magno Papâ in Conciliô Œcumenicô IV. Calcedonæ celebratô an. 451. restitutus, tandem piè obiit an. Chr. 460. vel 470.

Ejus Scripta sunt 1.° In Vetus Testamentum opera varia; ac præcipuè liber de Selectis Scripturæ quæstionibus ambiguis, necnon Commentaria varia in omnes Davidis Psalmos, Cantica, Prophetas omnes, Ejus Scripta.

118. excepto Isaiâ. 2.o In Pauli Epistolas 14. Commentarium, in cujus præludio notatur Chronologicus earumdem ordo.

3.o Historia Ecclesiastica libri 5. in Supplementum Historiæ Eusebii Cæsariensis. 4.o Eranistis seu mendici et orthodoxi Dialogorum libri tres contra Eutychianos. Eranistem idest mendicum vel emendicatorem, seu Polymorphum, idest, multiformem in iis vocat Eutychianum, ut qui Lerosim ex multis aliis emendicatam et consarcinatam defendat. 5.o Hæreticarum fabularum libri 4. quibus additur et opponitur 5.tus qui est doctrinæ divinorum decretorum Epitome, ut sic manifestè pateat mendacii et veritatis discrimen, et ostendatur, has hæreses omnes esse divinorum decretorum doctrinæ contrarias.

6.o Historia Religiosa de Sanctis qui ætate Theodoreti in Oriente clarùere viris. 7.o De curandis Græcorum affectionibus libri 12. in quibus contra Gentiles infidelesque Græcos Evangelica Christi Religionis veritatem defendit argumentis ex Gentilium infidelium que Græcorum Philosophiâ depromptis. 8.o De providentiâ Sermones 10. contra impios Dei providentiam negantes. 9.o Epistolæ variæ et plusquam quingentæ, ut testatur Nicephorus, è quibus adhuc 147. supersunt, inter quas præcipua est ea, quam ad Leonem Papam I. exaravit, quâ ob injustam suam depositionem autoritatem et judicium ipsius implorat. 10.o Capitula 12. in Cyrillum Scripta et 12. ipsius anathematismis contra Nestorium editis opposita.

De S. Leone Magnô. an. 461.

De S. Leone Magnô. obiit an. 461.

S. Leo Pontifex Romanus hujus nominis primus, cognomentô Magnus, patriâ Tuscus, ut volunt aliqui, vel Romanus, ut contendunt alii, Patre Quintianô natus S. R. E. Diaconus primò, virque in divinis Scripturis eruditè versatus, et in declamandis ad populum homiliis adeò celebris et facundus, ut eo superiorem in dicendô Ecclesia Romana his temporibus haberet neminem. Sixto Papa III. defuncto suffectus est 28. Julii, an. chr. 440. dum in Galliâ Legatione fungeretur, Romamque redi-ens in Solium Pontificale elevatus est eodem anno 8. Septembris, tempore quidem parùm lætô, quo ob ingruentes Barbarorum irruptiones, et circumstrepentes undique Nestorianorum, Pelagianorum, Arianorum Hæreses, tristissima erat tùm Ecclesiæ tum Reipublicæ facies. His non obstantibus Leo in munere suô exequendô virilem præstitit semper animum. Attilam Hunnorum Regem, cognomentô flagellum Dei, armatâ manu Italiæ prædia vastantem, et Romam ipsam vastare paratum, cohibuit, et ab hostili propositô removit: paulò post eâdem eloquentiâ vi et Sanctitatis famâ Genserico Vandalorum Regi jam Romam ingresso, et omnia igne ferróque delere molienti, suasit, ut ab incendiô, ignominiis, et cædibus abstineret. Tandem post debellatas varias præsertim Nestorianam, et Eutychianam, contrà quam Martianô Imperatore juvante Calledonense Concilium indixit, aliaque præclarè pro Ecclesiâ gesta vitam posuit an. chr. 461.

Ejus Scripta.

120. Scripta ejus genuina sunt 1º. Sermones varii de præcipuis Solemnitatibus Domini et Sanctorum, ac de feriis et nonnullis aliis argumentis. 2º. Epistola decretales, et familiares ad varios varia, inter quas eminet celebris ad Flavianum contrà Eutychen epistola. 3º. Tractatus unus contrà Eutychis et aliorum hæreticorum errores.

7/61

Dubia et supposititia.

Libri duo de vocatione gentium, et Epistola ad Demetriadem virginem, quæ inter opera S. Prosperi reperiuntur, perperam S. Leoni tribui videntur; quia Gelasius Papa, vir eruditissimus Leonique fère coætaneus, eos sub nomine cujusdam Ecclesiæ Ministri duntaxat laudat, non verò S. Leonis; atque Prosperi eosdem esse testantur omnes ab octingentis annis Mss. Codices.

Epistola item inter ipsius Epistolas 88va. de Privilegiò Chorepiscoporum supposititia videtur, quia apud antiquos nulla fit illius mentio, nec S. Leonis stylum sapit.

De S. Prospero. an. 461.

70. S. Prosper. obiisse creditur circà an. Chr. 461.

S. Prosper Aquitanicus natione, Episcopum Rhegiensem in Galliâ eum fuisse asserunt bene multi; alii verò neutiquam Episcopali dignitate fulsisse tuentur, quod ex Veteribus, ante Honorium Augustodunensem, qui primum circà an. Chr. 1130. floruit, nullus eum alibi Episcopum vocet. Vir fuit in divinis Scripturis eruditissimus, in sæcularibus nobiliter doctus, carminibus excelens et prosâ, eloquiò disertus, sensu profundus, ingeniò subtilis, assertione nervosus, vitâ et conversatione sanctissimus, Hilarii Arelatensis coætaneus, S. Augustini doctrinæ

in Galliâ contrâ Pelagianos et Semipelagianos defensor insignis, Sanctique Leonis Magni ab Epistolis, sive Notarius quondam eruditus et illustris, in cujus personâ multas et celebres dictavit epistolas. obiisse creditur circâ an. Chr. 461. Certè illius velut adhuc superstitis meminit Marcellinus comes in Chronico ad an. 460. Baronius illum an. chr. 465. obiisse dicit.

Scripta ejus hæc sunt, 1º De prædictionibus et promissionibus Christi Tractatus, in quo omnia vaticinia et promissiones de Christô et Ecclesiâ in Sacris litteris expressè elucidantur. 2º De vitâ contemplativâ libri 3. sive de virtutibus et vitiis tractatus insignis. Sed opus istud Juliano Pomerio Mauritaniæ ex Africâ Presbytero in Galliâ ordinato et Arelate degenti tribuunt Gennadius, et Isidorus Hispalensis Episcopus c. 12. de Eccl. Script. Honorius Augustodun. c. 4. et Gennadius de viris Illust. Prosperi recensentes opera de libris istis altùm silent. 3º Epistola de gratiâ et liberô arbitriô ad Ruffinum, in quâ nequissimum illud et capitale Pelagianæ Sectæ dogma refellit, quo asseritur, gratiam Dei secundùm hominis merita dari. 4º Responsiones ad Capitula gallorum, ad Objectiones Vincentianas*, ad excerpta Genuensium.

5º Liber de gratiâ Dei contrâ Collatorem, scilicet Cassianum* Collationum auctorem, in quo ejus ex 13.tiâ collatione decerptos refellit errores. 6º Ex Sententiis S. Augustini epigrammatum liber unus. 7º Carmen de ingratis contrâ Pelagianos. 8º Expositio in Psal-

Scripta ipsius ~~[illegible]~~

* idest Vincentii Lerinensis

71.

* fuit Joannes Cassianus genere Scytha ex Tauricâ Chersonesô oriundus, et Athenis natus. Cp.lim profectus ibidem à S. Chrysostomô Diaconus ordinatur. An. 404. in exili-

um missò S. Joanne Chrysostomò, legatus à Clerò Cb.no Joannis partium studiosò ad Innocentium Papam missus est, ut Joannis causam ageret p. Romæ ab Innocentiò Presbyter ordinatus, post expugnatam an. 410. à Gothis Romam, Massiliam venit; ubi duo Monasteria condidit, virorum unum, mulierum alterum. Scribere ortus est ab an. 424. obiit autem an. 448. ætatis suæ 97. Primus inter Semipelagianos sive Massilienses, quibus lampadem prætulisse videtur locum tenuit, Pelagianorum tamen sortis accessimus. ob SS: Scripturarum scientiam plurimùm laudatur à S. Prosperò; ut et ob disputandi acumen; ob facundiam autem à Cassiodorò.

Scripsit 1.o libros duodecim, quorum 4. priores de Institutis Cœnobiorum agunt, octo posteriores de octo vitiis capitalibus. 2.o Collationes patrum numero 24. 3.o De Christi Incarnatione adversùs Nestorium libri septem.

num 100.num et in 50. sequentes. 9.o Augustinum epistolâ una, quâ è gadiâ eum monet de Pelagianorum reliquiis, sive de Massiliensium erroribus, et ejus contrà illos implorat auxilium; alteram ad eumdem scripsit Hilarius Arelatensis, quibus respondens Augustinus, duos scripsit libros unum de prædestinatione Sanctorum, alterum de bonò perseverantia. 10.o Chronicon, sive Eusebii et S. Hieronymi Chronici continuatio, opus hoc perduxit usque ad an. 455. unde paulò post obiisse eum censent multi. 11.o Libri duo de vocatione Gentium perperam S. Leoni ab aliquibus adscripti. Sunt tamen, qui eos S. Ambrosio tribuant, sed falsò, eò quòd ex c. 22. libri 1. constet eos scriptos fuisse post damnatam Pelagii hæresim, quam S. Ambrosius non attigit. Alii nec Prosperi nec Ambrosii eos esse contendunt, sed auctoris incerti stylum Africanum sapientis; verùm antiqui Codices Mss. eos Prospero vindicant. 12.o Epistolâ ad Demetriadem, scripta post damnatam Pelagii hæresim, et contrà priorem Pelagii ad eamdem Virginem epistolam.

Subillius præterea nomine circumfertur Poëma aliquod de providentiâ Dei. Sed patet illud non esse S. Prosperi, sed ejusdem Pelagiani, Christi gratiam non rectè explicantis; docet enim optimum quemque non plus gratiæ accipere à Deò, quàm pessimum, Sanctos Patres ex lege naturæ bonos fuisse, auxilium Dei provenire, et alia errori Pelagii consona.

72. S. Maximus Taurinensis Episcopus. obiit circa an. Chr. 465.

De S. Maximo Taurinensi an. 465.

S. Maximus Augusto Taurinorum Pedemontanæ ditionis Episcopus, pietate

et doctrinâ celebris, cujus ortûs locus ignoratur, interfuit Mediolanensi Concilio sub S. Leone Rom. Pont. et Eusebio Mediolanensium Præsule, an. Chr. 452. ubi juxta formam famosæ S. Leonis ad Flavianum Epistolæ Eutychiana hæresis damnata fuit. Item alteri Romano Concilio 48. Episcoporum sub Hilarô Papâ an. chr. 465. in quo tria edita fuêre decreta ad rectam Clericorum ordinandorum dispositionem spectantia. proinde obiit valdè senex et eodem an. 465. vel posteà.

123.

Prima Ÿÿÿ pag 69

Ejus Scripta sunt elegantes Sermones seu Homeliæ; quarum aliæ sunt Hiemales de tempore, aliæ æstivales, de diversis argumentis aliæ.

Scripta ejus. ~~[illegible]~~

De Gennadio Massiliensis Ecclesiæ Presbytero. an. Chr. 492.

73. Gennadius. obiisse creditur an. 492. vel 493.

Gennadius Ecclesiæ Massiliensis Presbyter hic à nobis tanquam Scriptor Ecclesiasticus memoratur. floruit tempore Anastasii Imperatoris et Gelasii I. Papæ, et obiisse creditur, an. chr. 492. vel 493.

Scripsit præter libros octo adversùs hæreses omnes; librum unum de Ecclesiasticis dogmatibus; et de viris Illustribus alterum ad annum 490. usque perductum, in quo Semipelagianismi suspicionem reliquit aliquam; in eo enim Cassianum et Faustum, licèt Semipelagiani Zantes laudat, et S. Prosperum è contrâ deprimit, qui tamen strenuè contrà Pelagianos et Semipelagianos pro Dei gratiâ pugnavit: Sed hos errores deposuisse creditur, atque Semipelagianismo renuntiasse, hinc viris Sanctissimis eum adnumerat Adrianus Papa Ep. ad Carol. M.

Ejus Scripta.

~~[illegible]~~

124. Sæculô Sextô.

Sæculô Sexto. 74. De S. Fulgentiô. an. 529.

S. Fulgentius.

S. Fulgentius natione Afer, patriâ Carthaginensis nobilibus parentibus, Claudiô Gordianô scilicet patre, et Marianâ matre christianâ et honestâ foeminâ genitus, mortuô patre, post ritè peracta studia, Monachus efficitur, brevî è Monachô Abbas et ex Abbate tandem sub Trasimundô Wandalorum Rege in Africâ Ecclesiæ Ruspensis Episcopus eligitur an. circiter 500. Vir Græcâ et Latinâ linguâ peritus, in divinis Scripturis copiosè versatus, concionandique genere clarus; ob strenuè propugnatam contrâ faustum Reghiensem cæterosque Semipelagianos S. Augustini doctrinam, sui temporis Augustinus meruit appellari; ob impugnatam autem Arianæ Sectæ perfidiam, à Trasimundô in Sardiniam relegatus fuisse dicitur, sed post Regis hujus obitum, ab Hildericô ejus ~~[illegible]~~ successore pace Africanis Ecclesiis redditâ, ad suam Ecclesiam reversus, tandem ibi obiit Kalendis Januarii an. Chr. circiter 529. vel ut opinantur aliqui 533. Episcopatûs sui 25. ætatis 65.

Ejus Scripta. ~~[illegible]~~

Præcipua ejus Scripta sunt, 1º. Ad Monimum libri 3. 1. De duplici Prædestinatione unâ bonorum ad gloriam alterâ malorum ad poenam. 2. De Sacrificii oblatione, Spiritûs S. missione, et Supererogatione S. Pauli, qui, cum potuisset, de Evangeliô vivere, maluit tamen nedum sibi, sed et convictoribus suis necessarium propriis manibus operando quærere. 3.

De expositione dicti illius Joan. i. Et verbum erat apud Deum. 2º. Adversùs Arianos liber ad decem eorum objectiones totidem responsiones continens. 3º. Ad Trasimundum Wandalorum Regem libri tres i. De mysteriô Mediatoris Christi duas ~~[illegible]~~ naturas in unâ personâ retinentis; 2. De immensitate divinitatis Filii Dei. 3. De Sacramento Dominica passionis. 4º. Pro fide Catholicâ adversùs Cintam Episcopum Arianum liber unus. 5º. Ad Donatum de fide orthodoxâ liber unus, quo illum instruit de fide Trinitatis et Incarnationis. 6º. De fide ad Petrum Diaconum liber unus. 7º. Ad eumdem de Incarnatione et gratiâ Christi liber unus. 8º. De Trinitate ad Felicem Notarium, liber unus. 9º. Ad Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum de baptismô Æthiopis moribundi, liber unus. 10º. Ad Eumdem de quinque quæstionibus, liber unus. 11º. Ad Euthymium de remissione peccatorum libri duo. 12º. De veritate prædestinationis et gratiæ Dei, libri 3. 13º. Ad Regimum Comitem liber unus contrà eos, qui docebantur Christi Carnem hæpte naturâ ~~[illegible]~~ incorruptibilem, et passionum omnium expertem fuisse. 14º. Epistolæ familiares ad diversos variæ. 15º. Homiliæ sive Sermones de variis argumentis variæ, quorum 90. numerantur in Bib. PP. tom. 9.

125.

2/10

75.

Dionysius exiguus obiit an. Chr. circiter 540.

De Dionysiô Exiguo. an. 540.

Dionysius è Scythiâ oriundus Monachus et Abbas Monasterii alicujus Romani hucusque eruditis incomperti, Cassiodori familiaris, cognomentô Exiguus, sed doctrinâ et vitæ Sanctitate magnus, relictis variis peritiæ suæ monumentis, clarisque meritis obiit circâ an. Chr. 540. vel ut alii volunt paulò ante an. 556. quo annô Cassiodorus librum suum de divinis lectionibus scripsit: in eo enim Dionysium, jamjam ut ait, defunctum, impensè laudat.

Ejus Scripta.

Multa vel Latinè collegit et scripsit, vel è Græcô in Latinum transtulit, quorum hæc hactenus nobis innotuêre, 1º. Collectio Sacrorum Canonum è variis Ecclesiæ Conciliis et Romanorum Pontificum Decretis duobus separatis libris distincta.

2º. Epistola Synodica S. Cyrilli et Concilii Alexandrini adversùs Nestorium, latinè versa. 3º. Epistola S. Protherii Episcopi Alexandrini ad S. Leonem Papam de ratione Paschali, latinè versa. 4º. Vita S. Pachomii Abbatis, latinè data.

5º. Oratio S. Procli ex Cizicenô Episcopô Patriarchæ Cpni de Laudibus S. Dei genitricis Mariæ adversùs Nestorii blasphemias, cum Epistolâ ejusdem Procli de fide ad Armenos, et altera ad Domnum pro causâ Athanasii Perrhenorum Episcopi. 6º. Gregorii Nysseni de opificiô hominis liber in duas Homilias divisus. 7º. Cyclus Paschalis annorum 97. ab an. 527. ducensinitium, in quo relictâ profanâ Olympiandum, Consulum, et Imperatorum Ærâ*, omnium primus annos numerare coepit ab incarnatô Dei Filiô, seu

NB 3/71

* Æra seu Epocha est punctum fixum

à momento Nativitatis ipsius; quâ Arâ Christianâ adhuc hodie utuntur Christiani omnes; atque Ara communis seu Dionysiana nuncupatur, communis dicitur, quia communiter in Ecclesiâ Romanâ usurpatur. Multi tamen eruditi contendunt, Christum quartô jam ante hanc Dionysii nostri Aram seu Epocham annô natum fuisse; undè Chronologi nostri duplicem Christi annum in suis Chronologicis tabulis assignare solent, verum scilicet, qui quartô annô praecedit, et annum Aræ vulgaris seu Communis à Dionysiô Exiguô assignatum, qui quartô primum anno sequitur, adeò ut annus quartus Christi verus e.g. sit primus duntaxat annus Aræ vulgaris seu Dionysiana.

177. à quo annorum series numerari incipit. vid. dicta part. 2. Physices seu Physica particularis part. 1. c. 2. de corporibus coelestibus tit. de Calendariô p.

De S. Cæsariô Arelatensi. an. 544.

S. Cæsarius natione Gallus, patriâ Cabillonensis, et S. Porcarii Abbatis Lerinensis in primâ religionis et morum doctrinâ discipulus, à S. Honiô Arelatensi praesule Diaconus, et è Diaconô Presbyter ordinatus, atque postmodum eidem defuncto suffectus est Episcopus, sui seculi Episcoporum nudi sanctitate, eloquentiâ et eruditione secundus, diversus à S. Cæsariô S. Gregorii Nazianzeni fratre, floruit vedum Symmachi Papæ, et Theodorici Regis Italiæ temporibus, sedet ultrà ad annum usque Christi 544. nimirùm sub Symmachi successoribus Hormisdâ, Joanne I. Felice III. aliàs IV. Bonifaciô II. Joanne II. Agapetô I. Silveriô et Vigiliô. Pluribus in Galliâ praefuit Comitiis, ut Agathensi an. 506. Carpentoractensi

76. S. Cæsarius Arelatensis, obiisse creditur an. chr. 544.

128. an. 527. Vasionensi et Arausicano II. an. 529. et provinciali uni contrâ Contumeliosum Rhegiensis Ecclesiæ Præsulem habito an. 534. in quo ob varia crimina accusatus Sede suâ privatus est. Obiisse creditur Cæsarius noster an. circiter 544. Nonnulli volunt eum diem clausisse an. 542. 6. calend. Sept. annô ætatis 73.

Ejus Scripta.

Ejus Scripta sunt 1º. Homiliæ variæ ad populum, quarum 461. numerantur, ex quibus tamen 42da ei perperam attribuuntur, cùm in eâ citentur SS: Gregorius Papa et Isidorus ipso longè posteriores: nec etiam tres sequentes videlicet 43. 44. et 45ta hoc enim Macarii titulum fert, duæ priores Augustini. 2º. Exhortatio ad Charitatem custodiendam. 3º. Epistola ad quôrdam Germanos adolescentes vitam Monasticam agentes, quâ eos præsertim hortatur ad pudicè castèque vivendum. 4º. Homilia de decem Virginibus, in quâ hortatur ad bona opera. 5º. Regula Sanctimonialium in gratiam Sororis suæ S. Cæsariæ Monasterii Virginum Abbatissæ. 6º. Regula Monachorum. Teridii sive Teriadii nepotis sui esse creditur. 7º Homilia 14. alia operâ Stephani Baluzii Tutelensis edita. 8º. Epistola mirabilis ad Cæsariam Sororem suam et Monialium Abbatissam. 9º. Epistola altera eidem Sororisuæ et toti Sanctimonialium suarum Congregationi scripta. 10º. Epistola alia ad Virginem Deo dicatam.

4/12

Tertia Classis SS: Patrum. 77.

De Cassiodoro. an. 575.

Cassiodorus, obiisse creditur an. Chr. 575.

Aurelius Cassiodorus Senator dictus, gente Italus, Patriâ Lucanus sive Bruttius, stirpe Romanus, illustri ac Senatoriâ

familiâ oriundus, natus est post an. 463. vir Scientiâ, eruditione, prudentiâ, et morum gravitate percelebris. Sub Theodoricô et Athalaricô ejus Successore Italiæ Regibus Summas dignitates adeptus, postmodùm à Vitige, qui post Athalaricum Italiæ Sceptrum obtinuit, an. 537. exauctoratus, vitæ Sæculari renuntiavit, et otium meditatus, Monasterium Vivariense sive Castellense dictum propè Civitatem Scyllitanam in extremâ Calabriæ parte posuit et incoluit. Hîc loci degens pietati colendæ se totum dedit, variosque libros composuit, inter quos an. 556. vel circiter, edidit libros 2. De Divinis Lectionibus. an. autem 562. Paschalem computum scripsit; cui operi quot annis superfuerit non liquet. Nonnulli mortem ejus ad an. 575. rejiciunt.

Ejus Scripta genuina. ~~[illegible]~~

Scripta ejus genuina hæc sunt, 1º Variarum epistolarum libri 12. 2º. Historiæ Ecclesiasticæ Tripartitæ ex tribus Græcis Auctoribus, Sozomenô, Socrate, et Theodoritô, ab Epiphaniô Scholasticô latinè versis, à Cassiodorô collectæ, et in compendium redactæ, libri 12.

3º. Chronicon ad Theodoricum Regem, ab Adamô usque ad an. 519. 4º. Computus Paschalis, seu de Paschate Indictione, Epactâ ꝑ adinveniendis Tractatus. 5º. De rebus gestis Gothorum libri 12. 6º. Expositio, seu Commentarius in Psalmos Davidis, ex Augustinô ferè desumptus. 7º. Institutionis ad divinas lectiones, libri 2. 8º. De Orthographiâ liber ex veteribus Grammaticis compilatus. 9º. De Septem Disciplinis, videlicet Grammaticâ, Rhe-

 thoricâ, p. liber. 10°. De animâ liber.

11°. De Oratione, et octo partibus orationis liber.

Spuria. Spuria dicuntur 1°. Expositio in Cantica Canticorum, in quâ citatur S. Gregorius Papa Cassiodorô posterior. 2°. De Schematibus et tropis, necnon de quibusdam locis Rhetoricis S. Scripturæ liber, qui potiùs Venerabili Bedæ adscribi debet.

3°. De amicitiâ verâ liber, qui ab omnibus Cassiodoro jam abjudicatus, Petro Blesensi vindicatur. 4°. SS. Paphnutii, Spiridonis, et aliorum vitæ, quæ in Aloysii Lipponani Collectione habentur, à nonnullis Cassiodoro attribuuntur.

De perdita Aliorum adhuc operum suorum ipse Cassiodorus meminit in præfatione libri de Orthographiâ, quæ tamen, quantùm sciimus, nusquam amplius extant; ut sunt Ad Reges et Reginas Panegyrici nonnulli, Expositio Epistolæ ad Romanos. Tractatus Grammatici aliquot de Schematibus, Etymologiis, et in Donatum. Liber titulorum de S. Scripturâ collectus, Memorialis dictus. Breves explanationes in Acta et Epistolas Apostolorum, necnon Apocalypsim.

5/22 78. S. Gregorius Turonensis obiitan. 596.

De S. Gregoriô Turonensi. 596.

S. Gregorius vulgò Turonensis seu Turonius dictus, vir fuit miræ sanctitatis, insignis modestiæ, et humilitatis eximiæ, apud Arvernos Celticæ Galliæ populos, patre Florentiô, matre Armentariâ genitus, S. Galli Arvernorum Episcopi nepos et alumnus, ipsoque vitâ functô S. Avitii ejus post Cantinum in Sede Successoris discipulus, et Trithemiô teste, Ordinis S. Benedicti in Monasteriô S. Martini Turonensis Mo-

nachus, ac tandem è Monachô post S. Euphronium Ecclesiæ S. Martini Turonensis Episcopus decimus nonus an. Chr. 574. factus; post administratam summâ cum laude per plures annos suam Ecclesiam obiit an. Chr. 596.

Ejus Scripta.

Scripsit 1º. Historiæ Francorum libros 10.
2º. De gloriâ Martyrum libros 2.
3º. De miraculis S. Martini, libros 4.
4º. De gloriâ Confessorum, librum unum.
5º. De vitis Patrum librum unum.

Ipsi insuper à nonnullis adscribitur libellus historicus de Septem dormientibus, eò quòd in fronte libelli hujus posita sub ejus nomine conspiciatur Epistola ad Sulpicium Biturigum Præsulem. Verùm quia Gregorius noster in Epilogô suæ Francorum historiæ, omnes suos recensens libros, de libellô isto profundè silet, ab aliis eidem abjudicatur. Cæterùm nonnullis eruditis videtur fuisse vir pro sæculô, quo vixit, non ineruditus, magis tamen pietate ac zelô, quàm judicio commendandus.

79. Sæculô Septimô.

S. Gregorius Magnus obiit an. Chr. 604.

Sæculô Septimô.

De S. Gregoriô Magnô. an. 604.

S. Gregorius cognomentô Magnus Papa hujus nominis primus, et Ecclesiæ Latinæ Doctor Sanctissimus, vir fuit patriâ Romanus, Gordianô Senatore, et Sylviâ genitus, Felicis III. proneptos, urbis Romanæ præfectus primùm, deinde Monachus, ac tandem post Pelagii II. decessum, invitus licèt, ad Summum Pontificatum evectus an. Chr. 590. in quo pro Ecclesiæ bonô tanta gessit, scripsit, et docuit, ut meruerit Magnus appellari. Gravi denique, et acutâ vexatus podagrâ ad vitam immortalem migravit 14.tô sui Pontificatûs anno, Christi verò 604.tô meritis, Doctrinâ, et pietate clarus, relictis variis earundem monumentis.

Scripta ejus.

Scripta ejus sunt 1º. Expositio in Job libris 35. expressa. 2º. liber Pastoralis, quo Pastores animarum curam habentes instruit, in 4. partes distributus. 3º. Dialogi cum Petro libri 4. De virtutibus et miraculis Sanctorum Italiæ, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes et miracula Sanctorum, quos in Italiâ nosse, vel ab aliis resciire potuerat, ad exempla posteris collegit et transmisit. Equidem, ut cum Melchiore Canô* loquamur, historias, quæ istis Dialogis continentur, probaremus magis, si S. Gregorius noster in iis describendis, juxtâ præscriptam historico normam, severitati judicii adjunxisset majorem in seligendô curam. Sed quoniam modestè et circumspectô judiciô de tantô viô pronuntiandum est, ne in his Dialogis rejicienda sunt plurima; parva enim in iis possis arguere, quamvis historiam Ecclesiasticam ad severa judicia revocare contendas: ac si necesse est in alterutram partem peccare, omnia probari legentibus, quam multa reprobari malumus. Non est igitur, quòd Acatholici, notanter Guilielmus Cave Canonicus Windesoriensis in Angliâ*, ac præsertim Casimirus Oudinus natione Gallus et ex Monachô Bremonstratensis Ordinis Calvinianus Apostata*, hîc eum modici judicii atque ad credendas aniles et incredibiles fabulas propensionis criminentur, dum, pro sæculi, quo vivebat, simplicitate, à bonis et piis viris accepta sincerè refert, nec quemquam, ut ea omnia credat, adigere intendit. Profectò, quòd ipsum in hujusmodi historiis et factis interdum errasse contingat, ad summum pietatis error est, quâ sibi ea referentibus nimisquam

6/74

* De loc. Theol. lib. ii. c. 6. pag. 337. edit. colon. an. 1585.

* Script. Eccles. Hist. Litteraria Sæc. 6. ad an. 590. pag. 354. edit. Genev. an. 1720.

* Comment. de Script. Eccl. Tom. i. Sæc. 6. coloan. 1500. 1501. et 1506.

133.

fortè faulem adhibuit fidem, quæ potiùs laudanda videtur, quàm vituperanda. Sed cætera ejus scripta recenseamus. 4º. Homilia super Ezechielem 22. idest, in c. 1. 2. 3. Ezechiel. Homilia 12. in c. 40 verò Decem alia. 5º. Homilia in Evangelia 40.

6º. Epistolarum ad diversos libri 12.

7º. Undecim responsiones ad totidem interrogationes Augustini Cantuariensis Anglorum Episcopi.

Dubia

Nonnulli eruditi Expositionem libri primi Regum in sex libros partitam, ut et Expositionem in Cantica Canticorum, necnon explanationem seu Commentarium in Septem Psalmos pœnitentiales Gregorio nostro abjudicant, verùm hæc Opera ipsi vindicare conati sunt Benedictini nostri Congregationis S. Mauri in Galliâ, in ultimâ suâ ejusdem S. Gregorii Magni Operum editione an. 1705. sub præsidiò Dionysii de Sainte Marthe ejusdem Congregationis Presbyteri et Monachi factâ.

80.

De S. Isidoro. an. 637.

S. Isidorus obiit an. Chr. 637.

S. Isidorus Severiani Carthaginensis provinciæ Duris, prout multi credunt, filius, Leandri, Fulgentii, et Florentiæ Virginis frater germanus natu minimus, Hispaniensis Ecclesiæ Sydus, Doctor, et decus, necnon in provinciâ Baticâ post S. Leandrum Hispalensis Ecclesiæ Præsul dignissimus, et Junior dictus ad differentiam Isidori Cordubensis Antistitis longè anterioris, et quartò ineunte sæculò viventis. Post 40. sui Episcopatus annos, et varia relicta suæ eruditionis monumenta ad cœlum evolavit, an. chr. 636.

7/15

Ipsius Scripta.

Scripta ipsius hæc sunt 1º. Prœmiorum liber unus, in quo quid quisque contineat S. Scripturæ liber, brevi subnotatione distinguitur. 2º. Differentiarum libri 2.

134. 3°. De ortu et obitu Prophetarum, liber unus. 4°. Officiorum libri duo, in quibus originem Officiorum, et cur unumquidque in Ecclesiâ Dei peragatur, explicat.

5°. Synonimorum libri duo, quos Lamentationum libros ipse vocavit, et in quibus ad consolationem et spem percipiendæ veniæ ducit et hortatur. 6°. De naturâ rerum liber unus. 8°. Contrâ Judæorum nequitiam, libri duo. 9°. Sententiarum libri tres. 10°. Chronicorum ab initiò mundi usque ad suum tempus liber unus. 12°. Etymologiarum, liber unus.

81. De S. Maximo Abbate et Martyre. 662.

S. Maximus Abbas et Martyr. obiit an. chr. circiter 662.

S. Maximus Monachus, Abbas et Martyr, vir Constantinopoli piis nobilibusque parentibus ortus, pietate, eruditione, ac præsertim Philosophi nomine clarus, primùm Heraclio Imperatori à Secretis, quo in Monothelitarum hæresim lapsò, aulâ relictâ in monasterium secessit, atque Monachus factus est, et paulò post Abbas electus. Varia et gravia cum Monothelitis bella et certamina gessit, inter quæ celebratur disputatio quam habuit an. 645. in Africâ cum Pyrrhò Patriarchâ Cp.no Monothelitâ tunc ibi degente. Tandem Constantis Imperatoris Monothelitarum patroni jussu captus in exilium amandatur, ubi variis pro fide vexatus opprobriis, multisque laboribus, doloribus, et afflictionibus attritus felicem emisit Spiritum sub Vitaliano Rom. Pont. et Constante Imp. annò circiter 662.

Ejus Scripta. Scripta ejus sunt 1°. De variis S. Scripturæ quæstionibus liber. 2°. Dialogorum asceticorum liber unus. 3°. De Charitate quadringenta capita complectens liber.

4°. De Theologiâ, Deique filio, nec non de virtutibus et vitiis liber quadringenta etiam capita continens. 5°

Varia Opuscula Theologica et Polemica, quorum pleraque sunt contrâ Monothelitas. 135.

6º Disputatio cum Pyrrhô Monothelitâ Sergii in sede Cpnâ Successore. 7º Dialogi 5. de SS: Trinitate, contrâ Arianos, Macedonianos, Apollinaristas. 8º Orationis Dominicæ brevis expositio. Sunt et nonnulla alia ejusdem opuscula, ut Epistolæ diversæ ad diversos.

De S. Ildefonsô. an. 664. 82. S. Ildefonsus obiit an. chr. 667.

S. Ildefonsus Toleti in Hispaniâ nobilibus parentibus Stephanô et Luciâ natus, S. Isidori Hispalensis discipulus, et alterum à Magistrô Hispaniæ Sidus, Monasterii Agaliensis Abbas, et ex Abbate post Eugenium Toletanus Archipræsul, vir fuit pietate, scientiâ, sapientiâ, et eloquentiâ præclarus, necnon erga B. V. Mariam devotissimus. obiit 23. Jan. an. chr. 667.

Scripsit 1º Librum de 14. viris Illustribus, quem addidit ad S. Isidori librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, post Hieronymum et Gennadium. 2º Librum insignem de illibatâ Virginitate B. Mariæ Virginis Deiparæ contrâ Pelagium quemdam et Hedadium veteris Helvidii Haresim in Hispaniâ renovantes. 3º De eadem Deiparâ Virgine Sermones 12. qui reperiuntur in Bibliothecâ Patrum. Ejus Scripta.

Sæculô Octavô. 83. Sæculô octavô. obiit an. circiter 731. vel, ut alii volunt 760. S. Joannes Damascenus

De S. Joanne Damascenô. an. 731.

S. Joannes, Cognomentô Chrysoras ob auream dicendi facundiam vocatus, sed à Damascô patriâ suâ Damascenus vulgò dictus, vir fuit nobilissimis parentibus in Syriâ natus, eruditione et vitæ sanctimoniâ clarus, venerabilis Bedæ

136. coævus, Sacrarum imaginum defensor intrepidus, qui, ut fertur, amputatâ sibi ab Iconomachis dexterâ, et B. Virginis Mariæ ope sibi divinitùs restitutâ, in eremum secessit, factus in Monasteriô S. Sabbæ Monachus; tandemque à Patriarchâ Jerosolymitanô Presbyter ordinatus, vixit præsertim sub Leone Isauricô Imperatore Iconomachô. obiit an. circiter 731. vel, ut aliis placet, an. 760.

Ejus Scripta. Scripta ejus sunt 1º Parallela ex selectis Scripturæ Sacræ ac SS: Patrum locis contenta, et tribus libris comprehensa.

2º De fide Orthodoxâ libri 4. in quibus omnium primus universam Theologiam exponit rectô eôque ordine, quem deinde secuti sunt Petrus Lombardus Magister Sententiarum, et post illum, cæteri Doctores Scholastici. 3º Oratio de iis, qui in fide obierunt, seu de fidelibus defunctis oratio, in quâ eleganter et eruditè quidem ostendit, quòd hi, qui cum fide ex hâc vitâ migrarunt, vivorum Missis, precibus et suffragiis juventur, atque leventur. Verùm eidem orationi intenta invenitur fabulosa historia de animabus Trajani Imperatoris, et Falconillæ ab inferni supplicio liberatis, animâ scilicet Trajani precibus S. Gregorii Magni, et animâ Falconillæ precibus S. Theclæ primæ Martyris; quæ historia repugnat doctrinæ ipsius Damasceni lib. 2. de fide orthod. c. 4. dicentis, hominibus post mortem, sicut Angelis post lapsum, omnem resipiscendi facultatem esse præclusam. Undè eruditis liber iste vel falsò ipsi adscriptus censetur, vel saltem hac fabela

à Sycophantâ aliquo libro ipsius astuta, vel denique hic S. Damascenum huic narrationi nimisquam facilè fidem adhibuisse.

4º. Orationes 4. duæ de Nativitate B. V. Mariæ; tertia de Dormitione, et 4ta denique de Assumptione ejusdem.

5º. Carmina de variis argumentis varia. 6º. Dialectica, sive Logica.

7º. Physica, seu Aristotelica Physica compendium. 8º. De Hæresibus liber unus. 9º. Adversus Manichæos Dialogus. 10º. De naturâ compositâ contrà Acephalos: erant autem Acephali factiosi quidam ex iis, qui Calcedonense Concilium impugnabant, et duas in Christò naturas esse cum Eutyche et Dioscorò negabant; quique eâ de causâ frequentius et usitatius Monophysita vocantur; sed quia erant numerò multi et omnes simul orti, quin constaret, quis esset primus factionis auctor, sive caput, ideò Acephali, idest, sine capite fuerunt nuncupati. 11º. De Trisagiò, seu Angelicò Hymnò, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis. epistola, quâ probat hoc Trisagium à Seraphinis fuisse decantatum, ad tres in Deò personas designandas. 12º. De duabus in Christò voluntatibus, et actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus liber, contrà Monothelitas. 13º. Quomodò ad imaginem Dei facti sumus Oratio. 14º. Orationes tres de imaginibus earumdemque cultu contrà Iconomachos. 15º. Vita S. Stephani junioris pro Sanctarum imaginum bono-

Prima pag. 77

138. re martyrium passi. fuit autem Stephanus iste junior patriâ Ch.nus et professione vitæ sanctæ, ac miraculis clarus Monachus, qui tempore Constantini Copronymi Imp. propter SS. imaginum honorem et adorationem est generosè martyrium passus annô ætatis suæ 53. 16.º Disceptatio Christiani et Saraceni, per modum Dialogi expressa. 17.º Historia de Barlaam et Josaphat, seu liber, in quo historiam Barlaam Magistri, et Josaphat discipuli sui à quibusdam interioris Æthiopiæ viris acceptam enarrat.

84. Sæculô undecimô.

S. Petrus Damianus obiit an. 1072.

Sæculô undecimô

De S. Petro Damianô. an. 1072.

S. Petrus nobilis Ravennas, cognomento Damianus, vel Damiani à fratre suô Damianô, cujus curâ, sumptibus et operâ post utriusque parentis obitum ad litterarum studia promotus est, dictus; erga quem quippe ut se tanti beneficii memorem, gratumque deinceps exhiberet animum, se Petrum Damiani subscribere cœpit, et Petrus Damiani deinceps dici voluit. Peracto studiorum cursu vitam Monasticam professus est, Cœnobii Prior paulò post institutus, et è Cœnobii Priore S. R. E. Cardinalis et Ostiensis Episcopus à Stephano IX. Papâ creatus an. circiter 1058. ac tandem vitæ arctioris et secretioris amore, dimissô Episcopatu et Purpurâ, ad eremi Faventinæ Cœnobium se recepit. fuit vir sanctus et eruditus, nedum pœnitentiæ et solitudinis amantissimus, sed et Ecclesiasticæ disciplinæ defensor vigilantissimus, maximè contrâ Simoniacos, et incontinentes Cleri-

Clericos, atque consanguineis mutentes laicos. obiit an. 1072. die 23. februarii.

Ejus Scripta.

Scripta ejus sunt 1.º Variarum ad varios Epistolarum libri 8. 2.º Sermones varii variaeque Sanctorum historiae. 3.º De fide Catholicâ. 4.º Antilogus contrâ Judaeos. 5.º Dialogus inter Judaeum et Christianum. 6.º Disceptatio Synodalis, utrum non possit Summus Pontifex eligi nisi praeviô Imperatoris assensu. 7.º Actus Mediolani, de privilegiô Romanae Ecclesiae. 8.º Liber gratissimus, quôd ordinati ab Episcopis consecratis licèt Simoniacis non essent iterùm ordinandi. 9.º Liber Gomorrhianus, contrâ Clericos incontinentes. 10.º De parentela gradibus liber. 11.º De Eleemosynâ liber. 12.º De horis Canonicis. 13.º Liber cui titulus Dominus vobiscum, utrum particula ista ut et Jube domne benedicere ab eo omitti debeant, qui privatim in cellâ suâ officium recitat. 14.º Apologeticus liber de contemptu saeculi. 15.º De perfectione Monachorum, liber. 16.º De ordine Eremitarum liber. 17.º De suae Congregationis institutis. 18.º Invectio in Episcopum Monachos ad saeculum revocantem. 19.º De coelibatu Sacerdotum. 20.º Contrâ intemperantes Clericos. 21.º De abdicatione Episcopatûs sui. 22.º Liber Apologeticus ob dimissum Episcopatum. 23.º De fugâ dignitatum Ecclesiasticarum. 24.º Contrâ clericos, qui se saecularium Principum famulatui tradunt, ut Ecclesiasti-

2/78

cas Dignitates sibi comparent. 25.º De brevitate vitæ Pontificum. 26.º Contrà Clericos Regulares proprietarios. 27.º De Dignitate Sacerdotali. 28.º Contrà Clericorum insuitiam et inuriam. 29.º De communi vitâ Canonicorum. 30.º Apologeticus liber pro Monachis adversùs Canonicos. 31.º De vili Ecclesiasticorum vestitu. 32.º De Sacramentis per improbos administratis.

Sæculô Duodecimô S. Anselmus Cantuariensis. obiit an. Chr. 1109.

Sæculô Duodecimô.

De S. Anselmo Cantuariensi. 1109.

S. Anselmus Augustæ prope Alpes in Italia et Burgundiæ finibus honestis parentibus natus, liberalibus disciplinis à pueritiâ traditus, è vivis sublatâ matre, à patre discedens in Galliam venit; ubi post aliquot annos in Normaniâ in Beccensi Cœnobiô Ordinis S. Benedicti Monachi induit habitum an. Chr. 1060. ætatis verò suæ 27. sub Herluino Abbate et Lanfrancô Priore, cui in Abbatem Cœnobii Cadomensis electo suffectus est sui Monasterii Prior an. chr. 1063. atque post 15. annos ~~post~~ Herluino vitâ functo Abbas factus, tandem an. chr. 1093. Lanfrancô, qui ad Sedem Cantuariensem ex Abbate Cadomensi vocatus fuerat, morte raptô, Cantuariæ Metropolis in Angliâ Archiprasul electus est, quam summo cum zelô, magnô cum labore, scriptô, verbô et exemplô rexit; tandemque 16.tô Pontificatûs sui annô, plenus meritis, et clarus miraculis felicitèr obiit, an. chr. 1109. ætatis verò suæ 76. post varia subtiliter edita librorum volumina.

Gemina et indubitata ejus opera sunt hæc, 1.º Monologium seu Soliloquium, de ratione fidei, seu de iis, quæ vera fides de Deo sentit. 2.º Prosologium seu Alloquium ad Deum in personâ conantis erigere mentem ad contemplandum Deum, et quærentis intelligere, quod credit. 3.º Libelli duo pro insipiente unus incerti autoris adversus Prosologium Anselmi; et contrà insipientem alter, seu Apologeticus Prosologii adversus præcedentem librum. 4.º Dialogus de veritate. 5.º Dialogus de liberô arbitriô. 6.º Dialogus de casu diaboli. 7.º Dialogus seu Disputatio dialectica de Grammaticâ.

Gemina ejus opera.

3/79

8.º De Fide Trinitatis, et de Incarnatione Verbi liber, contrà Roscelini Clerici tum grassantem hæresim, quâ tres in Deo personas asserebat esse tres res ab invicem separatim sumptas, sicut sunt tres Angeli, tres animæ.

9.º Libri duo contrà gentiles, Cur Deus homo, vulgò dicti. 10.º De processione Spiritûs Sancti contrà Græcos liber. 11.º De conceptu Virginali, et de peccatô originali, liber. 12.º Epistola ad Valerianum, de tribus quæstionibus, nempe de processione Spiritûs Sancti, de fermentô et azimô, ac de cognatorum connubiis. 13.º Altera ad eumdem de diversitate Sacramentorum, idest, cæremoniarum, quæ circâ ea in Ecclesiâ servari solent. 14.º De concordiâ præscientiæ, et prædestinationis, necnon gratiæ Dei cum liberô arbitriô.

142. 15.º Liber meditationum aliquot, ad excitandam mentem ad Dei amorem vel timorem. 16.º Epistolarum libri tres.

Supposititia vel dubia.

Supposititia vel dubia ipsius opuscula sunt 1.º Liber de Similitudinibus. videtur esse cujusdam illius discipuli eò quòd c. 186. illarum Similitudinum collector vocet S. Anselmum Patrem Sanctum et c. 188. Patrem nostrum. 2.º Liber de mensuratione cruis; quia in eo c. 5. citatur S. Bernardus Anselmò junior, utpote qui primùm an. 1113. et mortuò jam Anselmò Monachus factus est. 3.º Liber de Passione Domini; quia in eo citatur Anselmus, et beatus vocatur. 4.º Liber de vestimentis, et membris, et attribus Deo attributis; quia Stylum Anselmi non sapit, et extat apud Augustinum tom. 4. sub titulò De essentiâ Divinitatis, et apud Hieronymum, tom. 9. ep. 15. sub hoc titulò, Epistola de iis, quo Deò in Scripturis Sanctis attribuuntur. 5.º Eluidarium, sive Dialogus Summam totius Christiana Theologia breviter completens, qui Stylum Anselmi non sapit, idque Honorius Augustodunensis inter sua opera recenset. 6.º De imagine mundi libri duo, in quo opere velut in Speculò totius orbis dispositio conspicitur. Verùm illud inter sua opera recenset Honorius Augustodunensis. 7.º De conceptione B. Mariæ Virginis liber; non reperitur in pluribus Mss. Operum S. Anselmi, et repugnat doctrinæ ab Anselmò traditæ, lib. 2. Cur Deus homo, c. 16. et 17. 8.º Epistola de Conceptione B. Mariæ, falsò eidem tribui censetur ab eruditis. Alia nonnulla Opuscula perperam etiam Anselmo

4

nostro tribuuntur, ut passio SS. Guigneri, 143.
Sive Fingaris Biala et Sociorum. Disputatio Judei cum Christianô, quo Gisleberti Abbatis Westmonsteriensis esse creditur, et alia nonnulla.

Praeter hunc Anselmum Cantuariensem celebrantur adhuc alii, ut Anselmus Leuensis Episcopus, qui obiit an. 1086. Guibertum seu Gilbertum Antipapam subnomine Clementis III. Gregorio VII. Papae legitimo contrarium duobus libris oppugnavit. Varias insuper ad varios scripsit epistolas; imò et collectanea quædam de variis Scriptoribus, in quibus Principes saeculares in Ecclesia bona jus nullum habere ostendit, quâ de re celebris tunc erat quæstio multùm agitata. 86. 4/80 Anselmus Leuensis obiit an. chr. 1086.

Anselmus item Laudunensis Ecclesiæ in Galliâ Canonicus et Decanus, Anselmi Cantuariensis æqualis, vir in litteraturâ sui temporis unici secundus, morum honestate, et consilii maturitate venerabilis. Scripsit inter alia, Interlinearem Sacræ Scripturæ glossam, quæ extat cum ordinariâ Strabonis glossâ, et morali expositione Lirani. 87. Anselmus Laudunensis, obiit an. chr. 1117.

Floruit etiam iisdem temporibus Anselmus Gemblacensis Abbatiæ in Brabantiâ Monachus, et Abbas Ordinis S. Benedicti, patientiâ pietate et eruditione clarus. Sigeberti antecessoris sui in eâdem Abbatiali dignitate Chronicon, quod iste ab an. 381. quo Gennadius suum finierat, usque ad an. 1112. perduxerat, continuavit usque ad an. 1137. quo annô obiisse creditur et ipse, vel paulò post. 88 Anselmus Gemblacensis. obiit an. 1137.

Ante istos floruit et Anselmus alter Abbatiæ S. Remigii Rhemensis Ordi- 89 Anselmus Rhemensis. obiisse creditur an. 1050.

144. nis S. Benedicti Monachus, unde Rhemensis dictus, qui Scripsit Diarium itineris et transitûs Leonis IX. Romani Pontificis in Galliam; venit enim Summus hic Pontifex Coloniam, deinde Aquisgranum, Lodium, Rhemos, Metas, Moguntium, &c. variaque celebravit Concilia, quæ omnia in suô Diariô notavit Anselmus.

S. Bernardus.

~~De S. Bernardo.~~ 90.

obiit an. 1153.

De ~~Sanctô~~ Bernardô. an. 1153.

S. Bernardus, natione Gallus, patriâ Fontanus, Fontanis quippè in Burgundiâ claris parentibus, patre Tescelinô Sorô Dominô de Fontanis, et Alethâ matre Bernardi Montis Barrensis Domini filiâ natus est. Cisterciensem Ordinem, cui an. Chr. 1098. initium dederat Robertus Ordinis S. Benedicti Abbas Molismensis, ingressus est sub Stephanô Abbate an. 1113. ætatis suæ circiter 23tiô. Deinde annos viginti quatuor agens, Monasterii Claravalensis recenter erecti destinatur Abbas primus. Vir fuit mirabilis, sublimi ingeniô præditus, miti indole, suavi facundiâ dicendi, ita equidem, ut mellifluus Ecclesiæ Doctor fuerit appellatus. Vir insuper verè Apostolicus, sermone potens et opere, totóque miraculis clarus, ut meruerit Occidentalis Ecclesiæ Thaumaturgus nuncupari. Post devictas hæreses, extinctum Petri Leonis Innocentio II. Legitimo Papæ contrarii Schisma, post sedatas et pacatas variorum populorum seditiones et dissensiones; post exhibita omnibus sanctioris vitæ documenta, mediâ hiemis tempestate gravi morbô correptus in pace tandem quievit 20. Aug. an. Chr. 1153. ætatis 63. et Monasticæ professionis 40. relictis variis voluminibus pietate et eruditione plenis.

5/81

Opera ipsius genuina et præcipua.

Præcipua et genuina ipsius opera variis tomis et voluminibus comprehensa hæc sunt, 1.º Epistola 44. 2.º libri 5. de consideratione ad Eugenium Papam III. suum quondam discipulum. 3.º Epistola ad Henricum Senonensem Archiprælum, de moribus et officio Pastorum.

4.º Ad Clericos de conversione Sermo seu liber. 5.º De præcepto et dispensatione liber. 6.º Apologia ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici Ordinis Cluniacensis, in qua Cistercienses reprehendit, quòd severioris vitæ specie Cluniacensium institutis detraherent, horum tamen superfluitatem perstringit. 7.º De laude novæ Militiæ ad milites templi seu Templarios. 8.º De gradibus humilitatis et superbiæ liber. 9.º De diligendo Deo, liber. 10.º Tractatus de gratia et libero arbitrio. 11.º Epistola seu Tractatus ad Hugonem de S. Victore de baptismo aliisque quæstionibus ab ipso propositis. 12.º Epistola ad Innocentium Papam II. contra Abaëlardum.

13.º Liber de vita et gestis S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi et Primatis in Clarævallensi cœnobio præsente et assistente S. Bernardo defuncti. 14.º Liber sive Tractatus de Cantu, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis. 15.º Sermones de tempore, de Sanctis, et de diversis argumentis aliis. 16.º Sermones 86. in Cantica Canticorum.

Alia nonnulla opera inter scriptiones illius reperiuntur, quæ illius non esse produnt tituli, et argumenta illorum, unde illis hic recensendis non immoramur. Hujusmodi sunt libri 7. de vita S. Bernardi, ipsi.

91

Petrus Lombardus vulgò Magister Sententiarum dictus obiit an. chr. 1164.

De Petrò Lombardò. 1164.

Petrus, Lombardus à patriâ dictus, Novara quippe, quæ Lombardiæ civitas est in Ducatu Mediolanensi, natus perhibetur. Magister Sententiarum vulgò dictus, in Scholâ S. Genovevæ Doctor Parisiensis et Canonicus Carnotensis. Ex Scholarum Parisiensium Præside an. 1159. Episcopus Parisiensis creatus est, atque obiit an. 1164. die 20. Julii.

Ejus Scripta.

Scripta ejus sunt, Sententiarum libri 4. quibus Theologia Summa ex Patrum Scriptis collecta, et in methodum Scholasticam digesta traditur. Item Glossa seu Commentarius in Psalmos Davidis.

Denique Collectanea in omnes D. Pauli epistolas, ex Ambrosiò, Hieronymò, Augustinò aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis contexta.

92.

Sæculò 13 tiò

S. Thomas Aquinas obiit an. 1274.

Sæculò Decimò tertiò.

De S. Thomâ Aquinate. 1274.

S. Thomas Aquinas, vulgò Ecclesiæ Doctor Angelicus, et Sacri Prædicatorum Ordinis Sol radians et illustre Decus, vir fuit natione Italus, et patriâ Neapolitanus, è clara Comitum Aquinatum, ac nobili stirpe natus an. chr. 1224. Post completum 14tum ætatis annum, S. Dominii sacrum Ordinem ingressus, et in eo ritè peractò Novitiatûs annò regulam professus, statim superiorum jussu, partim Coloniæ, partim Parisiis Philosophiæ ac Theologiæ incubuit sub Albertò, virò natione Suevò, Sanctitate, eruditione et cognomine Magnò: completóque Parisiis studiorum cursu, simul et eodem die, cum S. Bonaventurâ an. 1255. Sacræ facultatis Parisiensis, è

6/182

Religiosis mendicantibus primus Doctoris 147.
laureâ donatus. Ibi deinceps in urbe Regiâ, libros Magistri Sententiarum explicans, Theologiam per multos annos tantâ cum Sanctitatis et eruditionis laude professus est, ut deinceps ob grandem illam profundæ eruditionis famam, et Angelicæ vitæ Sanctitatem, Princeps Theologorum et Doctor Angelicus sit toto litterarum orbe Christiano nuncupatus. Tandem cùm plures docendo, concionando, et scribendo, pro Christo et Ecclesiâ subiisset labores, dum Gregorii X. Romani Pontificis jussu pergeret ad Concilium oecumenicum Lugdunense, in celebri Fossæ novæ Ordinis Cisterciensis Coenobio, propè Amasenum Campaniæ flavium piè obiit die 7. Martij, an. chr. 1274. ætatis suæ 50.mo inter Ecclesiæ Doctores haberi jussus Apostolico Pii V. ~~[illegible]~~ decreto, an. 1567.

Quadruplicis generis sunt hujus Angelici Doctoris Scripta: alia enim sunt Philosophica; alia Theologica; alia in S. Scripturam exegetica sive explanatoria, alia denique miscellanea seu de variis argumentis.

Ejus Scripta.

~~[illegible]~~

Philosophica.

Philosophica sunt 1.o Expositio in duos Aristotelis libros, qui vulgò Perihermenias, hoc est, de interpretatione, dici solent. 2.o Expositio in duos alios posteriorum Analyticorum vulgò dictos, in quibus judicandi sive argumenta resolvendi partem implet et exequitur Aristoteles: Analysis enim vox Græca, idem ac resolutionem significat. 3.o Expositio in parva naturalia, hoc est in tres alios Aristotelis libros, quos vulgò vocant parva naturalia, quia nimirùm in his agitur de sensu et sensato, de memoriâ et reminis-

148. centiâ, de somnô et vigiliâ, de somniis, et de divinatione per somnum p. 4º Expositio in octo Physicorum libros Aristotelis. 5º Expositio in 4. libros de Celô et Mundô. 6º Expositio in duos de generatione et corruptione libros. 7º In 4. Meteorum, idest, sublimium, quæ scilicet in sublimi mundi sublunaris regione formantur, expositio. 8º In tres de animâ libros expositio. 9º Expositio in 12. Metaphysicorum libros Aristotelis. 10º In decem libros Ethicorum sive Moralium Aristotelis expositio.

11º In 8. politicorum, seu de rectâ civitatis administrandæ ratione libros Aristotelis, expositio.

Theologica.

7/83

Theologica S. Thomæ Scripta sunt 1º Commentarium in 4. libros Sententiarum Petri Lombardi. 2º Scriptum alterum in eosdem 4. Sententiarum libros, idest, secundum in eosdem libros Commentarium. 3º Quæstiones disputatæ Parisiis vel alibi in Italiâ, sunt-que, De potentiâ Dei, 10. De malô 16. De Spiritualibus creaturis, una. De animâ, una. De Unione Verbi, una. De virtutibus in communi, una. De correctione fraternâ, una. De Charitate, una. De Spe, una. De virtutibus cardinalibus, una. De veritate quæstiones 19. 4º Quodlibetales, hoc est, quæstiones quodlibetales, sive quodlibetica; quòd varia nec sibi invicem coherentia de rebus variis contineant argumenta; sunt numerô 12. hæ Quodlibetica, in quæstiones, et quæstio in articulos varios subdivisa. 5º Summa Catholica fidei contrâ gentiles. 6º Expositio in Librum S. Dionysii

De divinis nominibus. 7º. Summa Theologica in tres partes divisa; opus S. Thomæ omnium postremum, sed optimum et mirabile, in quo, quasi quintam omnium laborum suorum essentiam expressit. Hujus secunda pars in duas est subdivisa, quia aliis fusior. Continet autem hæc Summa generatim 512. quæstiones, articulos verò 2652. et argumenta soluta plusquam 1000.

Exegetica in S. Scripturam S. Thomæ sunt, 1º. Expositio in Librum beati Job litteralis. 2º. Expositio in Psalmos David 51. primos. 3º. Expositio in Cantica Canticorum. 4º. Expositio in Isaiam Prophetam. à nonnullis eruditis non censetur genuinus S. Thomæ fœtus, ob eruditionis inopiam. Eidem tamen tribuitur à S. Antoninô, Bellarminô, Nazariô, et aliis. 5º. Expositio in Jeremiam Prophetam, et Threnos ejus. Ob rationem primùm adductam à nonnullis eidem abjudicatur; sed respondent alii, in eâ eundem esse stylum et modum, quo in cæteris exponendis Scripturis usus est S. Thomas.

Exegetica in Sacram Scripturam.

6º. Expositio in Matthæum Evangelistam. 7º. Expositio in Evangelium S. Joannis. 8º. Catena aurea in quatuor Evangelia; est mirabilis et erudita quatuor Evangeliorum explanatio, ex sententiis Patrum miro artificio connexa. 9º. In omnes S. Pauli epistolas expositio. 10º. In Canonicas Epistolas expositio.

Cæterùm quæ sub illius nomine circumferuntur Commentaria in Genesim et Libros Machabæorum velut spuria

150. rejiciunt eruditi. neutrum se vidisse ait Bellarminus, lib. de Script. Eccl.

(Miscellanea gesetzt ad margin.

Miscellanea, seu de variis argumentis opuscula varia S. Thomæ sunt 1º Contrâ errores Græcorum. 2º Compendium Theologiæ. 3º Declaratio quorundam articulorum contrâ Græcos, Armenos, et Saracenos. 4º De duobus Charitatis præceptis, et de decem Legis præceptis. 5º De articulis fidei et Sacramentis Ecclesiæ opusculum. 6º Devotissima expositio super Symbolum Apostolorum. 7º Expositio devotissima orationis Dominicæ. 8º Devotissima expositio Salutationis Angelicæ, scilicet Ave Maria. 9º Responsio ad difficultates super 42. articulis, quarum pleræque Philosophiam spectant, ad Joannem Vercellensem Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, ab eodem ipsi propositas. 10º Responsio ad Lectorem Venetum de 36. articulis sibi ab ipso propositis. 11º Responsio ad Gerardum Lectorem Bizuntinum de sex articulis seu quæstionibus sibi ab ipso propositis. 12º De differentiâ Verbi divini et humani. 13º De naturâ et origine Verbi intellectus, seu quomodò procedat intellectus in productione verbi. 14º De substantiis separatis, seu de naturâ Angelorum. 15º De unitate intellectûs contrâ Averroistas asserentes unum esse intellectum à corpore separatum, et illum omnium hominum unum, et universalem. 16º Contrâ pestiferam doctrinam retrahentium homines à Religionis ingressu, atque exemplô antiquorum hæresiarcharum Joviniani et Vigilantii matrimonium Virginitati præ-

8/84

ferentium. 17º De perfectione vitæ Spiritualis. 18º Contrâ impugnantes Dei cultum et Religionem præsertimque Mendicantium. 19º De Regimine Principum ad Americum Lusignanum libri 4. 20º De regimine Judæorum, seu quomodò Judæi à Principibus regi debeant, ad Duissam Brabantiæ.

21º De forma absolutionis Sacramentalis ad Generalem Magistrum sui Ordinis. 22º Expositio prima Decretalis de Summâ Trinitate, et fide Catholicâ. 23º Expositio super secundam Decretalem Innocentii III. quâ post expositam in præcedenti fidei Catholicæ formam, damnatur error Abbatis Joachim reprobare volentis doctrinam Magistri Petri Lombardi circà unitatem divinæ essentiæ, et Trinitatem personarum. 24º Tractatus de Sortibus, in quibus nempè Sors locum habeat, quis sortium finis, quis modus inquirendi per sortes, quæ et unde virtus earum, an eis uti liceat secundùm Christianæ Religionis doctrinam.

25º De judiciis astrorum, seu astrologiâ judiciariâ. 26º De æternitate mundi, ubi contendit, non repugnare mundum esse creatum et non habere durationis initium. 27º De fatò. 28º De principiò individuationis, ubi contendit materiam primam esse individuationis principium primum formæ substantialis, accidentia verò individuari à propriò subjectò, in quo reciprocantur. 29º De Ente et essentiâ seu de quidditate entium. 30º De principiis naturæ, seu de quatuor

Prima Aaa pag. 55

 causis, efficiente, finali, materiali, et formali. 31°. De occultis naturæ operibus. 32°. De motu cordis. 33°. De instantibus, seu momentis, quæ omnem durationem comitantur. 34°. De oppositis seu quatuor oppositorum generibus, contradictoriè scilicet, privativè, contrariè, et relativè oppositis. 35°. De fallaciis, quæ inter disputandum et ratiocinandum contingunt. 36°. De propositionibus modalibus. 37°. De eruditione Principum libri 4. 38°. De naturâ audientis opusculum. 39°. Officium Corporis Christi ab ipso Jussu Urbani IV. Papæ conscriptum. 40°. De venerabili Sacramento altaris opusculum. 41°. Expositio in librum Boëtii de Hebdomadibus, seu editionibus, nam Hebdomas græcè idem est Latinè ac editio, ubi S. Thomas exponit librum, quem Boëtius de suis conceptionibus edidit. 42°. Præclaræ quæstiones super librum de Trinitate ejusdem Boëtii.

Hæc sunt genuina S. Thomæ opera. Cætera verò istis inserta sunt dubia, numerò 30. pleraque Philosophiam spectant.

De S. Bonaventurâ 1274.

93. S. Bonaventura obiit an. Chr. 1274.

S. Bonaventura vir fuit natione Italus Balneoregii in Tusciâ claris parentibus ortus, patre scilicet Fidentiô et Ritelia matre an. chr. 1221. et ante S. Francisci Fratrum Minorum Seraphici Patris obitum, annis quinque; cujus precibus infans adhuc gravi morbô laborans sanatus est, et idcò à piâ matre Religioni Franciscanæ dictus, quam post 21.

ætatis annum ingressus, miræ vitæ sanctitate, innocentiâ et eruditione sacrum hunc Ordinem illustravit. Cautò à professione suâ septennio Parisios mittitur, ubi per tres annos Alexandrum Alensem celeberrimum Ordinis Seraphici, et Parisiensis Academiæ Magistrum audivit, atque eodem die, quo S. Thomas Aquinas ex Ordine fratrum Prædicatorum, ipse ex Ordine ff. Minorum Doctoris infulâ decoratus est, et posteà Theologiam publicè docuit, summò cum omnium applausu. Tot dotibus ac meritis clarus, 13tiò suæ Franciscanæ professionis annò Romæ communi fratrum suffragiò, et præsente Alexandrò IV. Papâ totius Ordinis Generalis Magister electus est, post S. Franciscum Septimus, an. Chr. 1256. quo munere ritè et sanctè perfunctus est, atque sensim collapsam sui Ordinis disciplinam restituit. Viterbii Cardinalibus post Clementis IV. Papæ obitum pro novi Pontificis electione congregatis, nec inter se convenientibus, et in S. Bonaventuram compromittentibus, ipse eis, mutâ sui ipsius habitâ ratione, Papam dedit Theobaldum Placentinum è familiâ Vicecomitum, et Leodiensem Archidiaconum in Oriente tunc pro Christi et Ecclesiæ causâ degentem, virum pietate et religionis zelò clarum, qui Gregorius X. appellatus est; hic indictò an. chr. 1274. pro Græcorum cum Latinis unione Lugdunensi II. Œcumenicò Concilio ad illud Bonaventuram evocavit, ubi reluctans à Summò Pontifice S. R. E. Cardinalis et Episcopus Albanensis ~~in Pontifex~~ renuntiatus fuit;

Z 86

154. atque post Sessionem 4tam felici morte sublatus est, die 14. Julii, an. chr. 1274. ætatis suæ 53tio. Eum inter Ecclesiæ Doctores haberi debere jussit lato decreto Sixtus V. Papa.

Ejus Scripta.

Scripta ejus præcipua sunt 1o. Expositiones variæ in S. Scripturam. 2o. Commentaria in 4. Magistri Sententiarum libros. 3o. Sententiæ Sententiarum carmine digestæ, sive quatuor Magistri Sententiarum libri carmine digesti. 4o. Sermones de diversis argumentis varii.

Ex opusculis aliis præcipua sunt 1o. Opusculum seu liber de reductione artium ad Theologiam. 2o. Breviloquium, in quo Theologia instituta atque præcepta summatim ac breviter exponit. 3o. Centiloquium, quod compendium Theologiæ dicitur, centum sectionibus comprehensum. 4o. Pharetra opusculum 4. libris distinctum, Pharetra dictum, quia in eo reconduntur variæ SS. Patrum auctoritates, quibus quasi sagittis antiquus hostis dejici posit. 5o. Declaratio Terminorum Theologiæ, hujus Sacri Studii candidatis perutile. 6o. De Septem donis Spiritûs Sancti, opusculum in duas partes distributum. 7o. Dieta sive via salutis, totum S. Scriptura locis refertum, ac egregiis similitudinibus ornatum opus, ac Dei Verbum prædicantibus perutile. 8o. Meditationes vitæ Christi. 9o. Speculum B. Mariæ Virginis, sive Mariale octo lectionibus sive capitibus distinctum; speculum dicitur, quia in eo velut imagines in speculo repræsentantur B. Virginis dotes, virtutes et dona. 10o. De gradibus virtutum formula aurea. 11o. De pugnâ spi-

tuali contrâ Septem vitia capitalia. 12º 155.
Speculum animæ, de eodem argumentô ferè, de quo prius opusculum, et in quo quisque, velut in Speculô, à se patrata scelera vidêre potest. 13º Confessionale, in quo Confessarium, cui incumbit animarum regimen, ad audiendas confessiones informat, et erudit; 14º Expositio Missæ. 15º Expositio in regulam FF. Minorum. 16º Determinationes quæstionum circâ Regulam S. Francisci. 17º Libellus Apologeticus in adversantes Ordini S. Francisci. 18º De paupertate Christi.

19º Apologia pauperum, contrâ malevolos erga Ordinem S. Francisci.

20º Biblia pauperum, opusculum verbum Dei prædicantibus utile et commodum. 21º Compendium Theologiæ veritatis. à nonnullis ipsi abjudicatur, sed tamen verisimilius ipse illius Autor est; Theologia Candidatis perutile opus. 22º Mystica Theologia; à nonnullis quidam Carthusiano adscribitur.

*Hisce nostro Ecclesiæ Patrum et Doctorum, qui præclaris suis Scriptis et operibus Ecclesiam idurtrarûnt, finem imponimus Catalogo, in quo, ut candidè, quod verum est, fateamur, multò plures omissimus, quàm recensuimus: enimverò eos omnes eorumque Opera omnia recensere infinitus penè labor foret, atque ultrà instituti nostri metas longè aberiperetur. Satis nobis esse arbitrati sumus, plerosque duntaxat, eorumque Opera genuina à dubiis et spuriis

* In recensendis Ordine Ecclesiæ Patribus et Doctoribus, plerumque illos ad id sæculum rejecimus, quo eos obiisse constat duntaxat: Unde non obest, quin ad illud quo obierunt, priori sæculô pleraque sua Scripta vulgasse dicantur, atque hujus sæculi Patribus accensari valeant.

3
87

 distincta recensere, quorum frequentius apud Theologos fit mentio, et quorum autoritate sententias suas et assertiones communire solent; quique ideo ab ipsis Classici vocari consueverunt. Qui verò prolixiorem de iis eorumque operibus Catalogum desiderant eos Scriptores adeant velimus, qui ex institutô Ecclesiæ Patrum et Doctorum, eorumdémque Operum Syllabum texerunt; vt sunt præter Hieronymum, Gennadium, Isidorum juniorem, de quibus suis locis jam egimus,

Photius. vivere desiit an. chr. 886.

94. Photius natione græcus, Senator primò Constantinopolitanus, et Michaëli Imperatori à Decretis primus, deinde in locum Ignatii Patriarcha viri Sanctissimi perperam detrusi, Patriarcha ipse Constantinopolitanus per nefas intrusus, magnæquidem eruditionis, sed majoris nequitiæ vir, qui Schismati, quod usque in hodiernam diem adhuc Latinam Ecclesiam inter et græcam viget, dedit initium. Præter Nomocanonem, idest Canonum collectionem, et varias epistolas et Tractatus, ingentem scripsit Bibliothecam 294. Autorum, in quâ non modò singulorum autorum libros, sed et librorum capita, et capitum argumenta recenset. Vivere desiit an. circiter 886.

Sigebertus Abbas Gemblacensis in Brabantiâ Ord. S. B. obiit an. 1112.

95. Sigebertus Gemblacensis Abbas scripsit librum de viris illustribus, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis, in quo seipsum et sua opera recenset, præsertim eam, quam tenuit Chronologiam ab an. 381. continuando Gennadium usque

ad an. 1112. quo et ipse vivere desiit. 157.

Henricus Gandavensis, vulgò dictus, quia Gandavi in Flandriâ natus, Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, vir eruditione magnus et celebris, et Tornacensis Archidiaconus, scripsit præter alia opera de Scriptoribus Ecclesiasticis catalogum usque ad an. 1280. et obiit an. 1293. ætatis suæ 76. 96. Henricus Gandavensis. obiit. 1293.

4/88

Joannes Trithemius, sic dictus à vico in Germaniâ propè Mosellam juxtâ Treviros, in quo natus fuit, Ordinis S. Benedicti Monachus, primò Spanheimensis Abbatiæ deinde Herbipolensis Scotorum Abbatiæ Præsul. Præter alia egregia opera, scripsit de illustribus Germaniæ viris librum unum, de viris illustribus Ord. S. Bened. alterum, et denique de Scriptoribus Ecclesiasticis generatim unum, ab Apostolorum temporibus ad suam usque ætatem, videlicet usque ad an. 1494. in quo opere 970. Autorum meminit. Obiit an. 1519. 97 Joannes Trithemius. obiit an. 1519.

Conradus Gesnerus Tigurinus Philosophus et Medicus, præter alia opera scripsit Illustrium Scriptorum Bibliothecam circa an. 1555. 98. Conradus Gesnerus floruit circa an. 1555.

Antonius Possevinus natione Italus, patriâ Mantuanus Societ. Jesu Presbyter, præter varia præclara opera scripsit Apparatum sacrum et historicum in tres tomos distributum, in quo omnes ferè Scriptores Ecclesiasticos tam veteres quàm recentiores ordine alphabeticô recenset. obiit Ferariæ an. 1611. ætat. 78. 99. Antonius Possevinus S. J. obiit an. chr. 1611.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis natione Italus, patriâ Poli- 100 Bellarminus S. J. obiit an. chr. 1621.

158. tianus Soc. Jesu alumnus, Scripsit præter tres Controversiarum tomos fidei Christianæ adversùs sui temporis hæreticos, in quibus de Verbo Dei, de Summo Pontifice, et de Conciliis fusè disserit; præter explanationem in Psalmos, et conciones Sacras, pluráque alia adversùs hæreticos opera, Scripsit insuper, et in suâ ultimâ ætate revidit et expolivit de Scriptoribus Ecclesiasticis librum unum; in quo de 400. circiter Auctoribus Ecclesiasticis suum eruditum et sapiens exponit judicium, incipiens à Moyse, Scriptore Ecclesiásticô primô, usque ad subsequentes, et sui temporis alios, cui brevem addidit Chronologiam ab orbe conditô, usque ad an. Chr. 1612. Obiit an. Chr. 1621. die 17. Sept. ætatis verò 79.

101 Aubertus Miræus. obiit an. chr. 1640.

Aubertus Miræus patriâ Bruxellensis, et Antuerpiensis Ecclesiæ Canonicus et Decanus, Joannis Miræi Antuerpiensis Episcopi nepos, vir eruditus et celebris, qui præter Notitiam Episcopatuum Orbis, Geographiam Ecclesiasticam, Origines Ordinum Religiosorum fere omnium, Rerum Belgicarum Annales, ac erudita plura alia opera, Scripsit insuper Bibliothecam Ecclesiasticam, necnon Illustrium Belgii Scriptorum elogia. Obiit Antuerpiæ an. 1640. ætatis suæ 67.

102 Guilielmus Cave Anglus.

5/89

Guilielmus Cave Canonicus Windesoriensis in Angliâ, Scripsit etiam Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam litterariam, à Christo natô usque ad Sæculum 14tum.

103. Casimirus Oudinus.

5

Idem argumentum prosecutus est Casimirus Oudinus ex Monachô Præmonstratensis Ordinis in Galliâ Calvinia-

mus Apportata; editô Commentariô de Scriptoribus Ecclesiasticis tribus Tomis comprehensô. Verùm ambo hi, quia Acatholici, cautè sunt legendi. 159.

Caput Secundum.

De Historia humana tùm Ecclesiastica, tùm profana Scriptoribus, eorumque in rebus Ecclesia autoritate. 104.

Historiam humanam vocamus rerum quovis sæculô et ætate gestarum narrationem et annotationem. Ecclesiastica vocatur, si res præcipuè Ecclesiam spectantes; Profana autem, si sæcularia præcipuè tractet, et contineat.

De eâ hic tria inquirimus, 1º Utrum illius cognitio Theologo sit utilis. 2º An aliqua sint regulæ, quibus vera historia à falsis dignoscantur. 3º Quænam sit historiæ humanæ autoritas.

Conclusio prima. 105.

Historia sive profanæ, sive Ecclesiastica cognitio Theologo perutilis, ne dicam necessaria est.

Prob. 1ª pars. Cognitio historiæ profanæ plurimùm, imò omninò confert ad Scripturarum Sacrarum intelligentiam, utpotè in quibus præsertim in Prophetis occurrunt loca plurima, quæ sine historiæ ad veteres Monarchias spectantis cognitione expediri nequeunt; unde, Quidquid, ait S. Aug.* de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimùm nos adjuvat ad Sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Confert etiam proprimis ad Ecclesiasticorum monumentorum intelligentiam, ut patet; itemque contrâ adversarios fidei Christianæ, utpotè quos ex ipsis Græco-

* lib. 2. de Doct. Christianâ c. 28.